P. RAMI REGII PROFESSORIS DIALECTICÆ

LIBRI DVO.

Exemplis omnium artium & ſcientiarum illuſtrati, nõ ſolùm Diuinis, ſed etiam myſticis, Mathematicis, Phiſicis, Medicis, Iuridicis, Poëticis & Oratorijs.

Per Rolandum Makilmenæum Scotum.



LONDINI,

Excudebat Thomas Vautrollerius.

1574.

Cum Priuilegio Regiæ Maieſtatis,

P. RAMI EPITAPHIVM.

Præluxi virtute mea maioribus: artes
Ornaui ingenuas, perfaciléſque dedi:
Pectus Ariſtoteli finxi, linguam Ciceroni:
Euclidi ingenium. Quintiliane tibi
Iudicium. Sic vita fuit. Laus vna perennis
Vitàque, pro Chriſto ſic potuiſſe mori.





PIISIMO AC HVMANISSIMO VIRO, EDMVNDO DOCVRAO DE CHAMBERHOVSE, ANGLO, IN COMITATV

Barcheriæ armigero, honoris & castri Vindesorij totiúsque nemoris eiusdem Vicecomiti fidelissimo,

ROLANDVS MAKYLMENÆVS SCOTVS fœlicem rerum successum in hac vita, & in futura gloriam æternam precatur.



CVM typographus (vir multis nominibus ornatissime) hanc Dialecticam P. Rami typis committere decreuisset, obnixè mecum egit, vt in prouectiorum gratiam Inuétionis & Iudicij præcipua capita, non solùm Poëtarum & oratorum exemplis (in quibus seligendis plurimùm sudauit author) sed artium etiam atque scientiarum quotidiano vsu, planius illustraré. Cuius petitioni honestæ, cum multis de causis acquiescédum mihi censui, tum maximè quòd in rapsodiam quandam tunc temporis incidere cótigit, quæ huius artis vsum, vt hîc describitur, aut nullum omninò esse, aut in Poëtis & Oratoribus mortuum, planè contendebat. Quod cùm legissem, mehercule dixi, verum illud video vulgo quod dici solet: scientiam non habere inimicum alium præter ignorantem. Non enim

quod P. Ramus Poëtarum & Oratorum exemplis sit præcipuè vsus, ob id statim sequitur Dialecticam in alijs nullum habere locum: cùm contrà id imprimis docere conetur, hanc artem esse omnium artium & scientiarum, entis & non entis commune instrumentum. Ipsamet P. Rami verba adferam: Obtestor, inquit, Deum optimum Maximum, vt logicum lumen in bonis & veri percipiendi studiosis ingenijs accendat: túmque ad ingenuas artes exornandum, tum ad cælestia sacræ doctrinæ mysteria illustrandum magis ac magis augeat. Hîc videmus quàm impudenter mortuo insultant, quem viuum etiam inuiti venerari cogebantur. Exempla vero Poëtica & Oratoria (vt ait Talæus) ad illustrandum & demonstrandum Logicæ artis vsum quam illustrissima selegit, Quod Aristoteles (quem vt Deum sequitur) nominatim iubeat octauo Topicon exemplis vtẽdum esse Homericis, qui Demosthenicis pariter vtẽdum dixisset, si Demosthenis scripta tum perinde celebrata fuissent. Et Aristotelei præcepti ratio magna prorsus esto Primum puero à Grammaticis & Rhetoricis artibus ad Logicam venienti, Poëtæ & Oratores iam noti erunt, artium sequentium scriptores adhuc ignoti: deinde exempla hæc Poëtica & Oratoria vsum artis dialecticæ talem demonstrant, qualis nempè apud principes ciuitatum & populorũ doctores fuit. Sic vsus hic è politica illa Socraticæ & Aristoteleæ Logicæ dignitate ac præstantia depromettur: prætereque fructum Grammaticæ puerilis & ornatus Rhetorici spontè & sine labore consequatur: Vt qui consuescet politicorũ eiusmodi & popularium logicorum more disserere, consuescat intereà etiam non cogitans tamen eorum more & loqui & dicere. His igitur Aristoteleis de causis P. Ramus exemplis illustribus & luculentis vsus est, in quibus Logicus artis suæ veritatem agnosceret, posteàque in perpetuis Poëmatum, & orationum operibus, easdem logicas laudes sibi retexeret, & imitandis alienis exemplis, simi-

libúsque confingendis & commentandis sese exerceret. Sed hæc in defensionem authoris dicta sufficiant: nunc quàm verùm sit quod aiunt videamus. Qui hanc Dialecticam P.Rami communem esse negāt, illud vel de præceptis artis, vel forma dicant necesse est: sed de neutro verè dicitur. Primum enim, vt Logicæ artis præcepta secundum leges veritatis, iustitiæ & sapientię explicantur: id est, vt omnia præcepta Dialecticæ sunt necessariò omninóq; vera, homogenea & cognata, vniuersalia prima siue propria, ita omnium artium & scientiarum documenta vera, homogenea & propria esse debent. Qui primum negat, mendax est, qui secundum iniustus, qui tertium stultus. Deinde forma artis talis est, vt generalia præcedant, specialia sequantur: naturaque primum primo loco sit, secundum secundo, tertium tertio, & ita deinceps, vt ab vnitate per media genera ad indiuiduam multitudinem descendatur. Hanc qui in omnibus artibus obseruandam negat, Platonem negat, Aristotelem negat, ipsam rerum animam è medio tollit, histerologiam mirabilem, vsuique vehementer ac valdè repugnātē introducit. Nil hîc falsum, nil alienum, nil improprium, nil sæpius iteratum: vera à falsis, homogenea ab alienis, propria ab improprijs seiunguntur atque separantur. Hæc bonus artifex in sua arte obseruanda curabit: sin minus non est artifex, sed mendax, sed Sophista, sed iuuentutis pernicies: Sed dicent fortasse inuentionis vim, & iudicij sapientiam non esse communem: audiant igitur non me tantum, sed viros in singulis artibus præstātissimos. Disputationis disciplina, inquit Augustinus, ad omnia genera quæstionum, quæ in libris sacris sunt penetranda ac dissoluenda plurimùm valet: tantum ibi cauenda est libido rixandi, & puerilis quædam ostentatio decipiendi aduersarium. Et Hieronymus enarrans illud Ezechielis capite 25. ait: Quicquid in seculo peruersorum dogmatum est, quicquid ad terrenam sapientiam pertinet & putatur esse robustum, hoc Dialectica arte

Lib.2. de doctrina Christ. Cap.31.

ſubuertitur, ac inſtar incendij, in cineres fauillaſque diſſoluitur, vt probetur nihili, quod putabatur eſſe fortiſſimum, quomodo quæſo probatur, niſi argumentis aptè diſpoſitis. Idem in commentarijs ad Oſeam dixit aliquem etiam ex ſolis verbis inordinatè prolatis incurrere in hæreſim. Hîc videmus, & omnes iuſti & pij vident, quàm neceſſarius ſit huius artis vſus in ſacra pagina: Neminem ritè poſſe aut vera religionis noſtræ dogmata ſtabilire, aut hæreticorum falſas opiones diruere, aut quouis modo quæ ex ſcripturis collegerit, quidue ſentiat explicare, niſi qui mediocriter ſaltem ſit Dialecticæ patrocinio ſuffultus. Sed Mathematica, an non & ipſa ab hac arte pendet? ſi demonſtret Mathematica vt omnes fatentur, quid quæſo demonſtrat? an non adiuncta de ſubiectis nunc per cauſas? nunc per effecta? quæ per impoſſibilè fiũt demõſtrationes, an nõ ex diſſentaneorũ Topicis? Quid iudicij capita ponã, cùm omnes propoſitiones, omniaque genera ſyllogiſmorum adhibeat, topicis deductæ ſunt? An non vtitur definitionibus in ſubſtantiali rerum explicatione? & diuiſionibus in inueniendis rerum ſpeciebus? Et methodum quaſi ſibi propriam retineat? Hæc Euclidis & aliorum ſcripta docent, & in huius libri progreſſu magis apparent. Nunc ad Medicinam veniam, & vnius Galeni verba (ne in re tam manifeſta tempus teram) in medium adferam, vt omnes ſciant quàm neceſſaria ſit diſſerendi ratio, ijs qui Medicinæ cognitionem aſſequi volũt. Quod autem, inquit, exercitatum requirat in Topicis harum rerum cõmẽtatio, apertum eſſe puto. Deinde ſubiungit: Ego diſſerendi artis rudes & ignaros, qui homonymiam diſtinguere nequeunt Pſeudodialecticos vocare non dubito. Licet enim omnes confuſæ cuiuſdam Logicæ ſint natura participes, tamẽ vt omnia aptè & diſtinctè agas, arte opus eſt, quæ dux certior eſt quàm natura. Quis adeò perfrictæ frõtis eſt, qui ſe medici nomine dignum eſſe dicat, niſi morborum cauſas & effecta

effecta cognoſcat? ſubiecta & adiuncta diſtinguat? Qui enim cauſas morbi ignorat, vt ait Heraclitus, qui fieri poteſt vt cauſas propellat? et niſi diſſentaneorum Topica nouerit, quomodo contrarijs (vt volunt medici) contraria curabit? breuiter niſi comparatorum claſſes exactè tenuerit, quomodo illud Hippocratis aſſequi poteſt? Similia an diſſimilia ſint principio eſt inſpiciẽdum. Cæterùm num Philoſophiæ conducat hæc ars, non modo non dubitat Cicero, ſed quaſi omnibus in confeſſo reliquit: Licebit, inquit, diligentius cognitis argumentorum locis, non modo Oratoribus & Philoſophis, ſed iuris etiam peritis copioſè de cõſultationibus ſuis diſputare. Et merito: Nam an non ſubinde iuriſperito ſiue in foro cauſas agat, ſiue priuatim conſilijs iuuet homines, ſiue publicè leges profiteatur & enucleet, res obſcuræ finiendæ & diuidendæ ſunt? Et magiſtra finiendi & diuidendi res, eſt Dialectica. Ad hæc quis ignorat iuriſconſulto plurimis in locis res confirmandas & infirmãdas eſſe? At res confirmari & infirmari ſine locorum, quos Dialectica monſtrat, exacta cognitione non poſſunt: id quod vel vnus Trebatius iuriſconſultus arguit, qui cùm in Tuſculano apud Ciceronem verſaretur, & in Ariſtotelis Topica forte fortuna incidiſſet, edoctus à Cicerone quidnam Ariſtoteles in illis libris traderet, valdè inſtitit Ciceroni, vt quæ Ariſtoteles obſcurè de locis Dialecticis ſcripſiſſet dilucidius explicaret, rat⁹ id quod res erat, ſe citra horum locorum cognitionẽ egrè rebus & probandis & improbandis iuriſcõſultum agere poſſe. Præterea Dialectica iuriſconſulto etiam hoc commodi affert, vt de argumentis quibus vel leges in Pandectarum libris confirmantur, & quibus res ſuas aduerſarius aliquis in foro corroborat, iudicare poſſit, quàm firma, quàm bellè coherentia ſint, quàm appoſitè ad rem præſentem faciant. Nam Dialectica vt Cicero in partionibus inquit, docet argumentationem ipſam concludere, quidque ex ijs quæ ſumpta ſunt, efficiatur: docet & quæ


aut male ſumpta ſunt, aut male concluſa reprehendere. Sed quid ego ſingulis recenſendis immoror, cum nulla ſit diſputatio, in qua non aliquis locus incurrat, nulla pars humanæ vitæ neque priuatæ, neque publicæ, quæ vſu Dialecticæ careat, ſed forum, ſed curia, ſed noſtra omnium iudiciorũ conſiliorum, concionum, magiſtram Dialecticam habent: ita vt Logica ſit omnibus in ocio, in negotio, domi, foríſque in pace & bello dux cogitandi, & iudicandi, reguláque confirmandæ rationis. Sed de his ſatis, qui enim commoda quæ humanæ vitæ ex Dialectica proueniunt ſcire velit,

Lybici volet æquoris idem
Diſcere quam multæ Zephiro turbentur arenæ:
Aut vbi nauigijs violentior incidit Eurus
Noſſe quot Ionij veniant ad littora fluctus.

Ego vero his rationibus motus quas prius adduxi, ſingula Inuentionis & Iudicij capita illuſtraui, exemplis non ſolùm è ſacra pagina allatis, ſed è myſtica Theologia, Philoſophia, Mathematica, Medicina, Iure ciuili. &c vt non ſolùm puer in Poëtis & Oratoribus huius artis vſum videat, ſed diuinus in Theologia, medicus in medicina, ſingularumq; artium ſtudioſi in ſuis artibus, hac diſcant & doceant, hac reprehendant & corrigant, hac confirment & confutent. Quædam in Wecheli vltima editione correxi, ſed tribus tantum in locis, idq; iubente authore. Cùm enim aliquot diebus ante actam tragediam publicè inter alia, hanc Dialecticam Lutetiæ prælegerem, & eius conſilio, vtpote in ſua arte præſtãtiſſimo, quotidiè ante meas prælectiones vterer, de tribus illis locis mutandis conuentum eſt. De varijs alijs locis diſputabamus, quæ mutare nolui, quod nihil de eorum diſpoſitione cõcluſerit author: de quibus meum iudicium in margine ſcribendum cenſui. Sed hoc quicquid ſit, vir humaniſſime, quod parum eſſe fateor, ſub tuo nomine, tuíſque

tuísque auſpicijs,in lucem prodire voluimus: vt cum alia in præſentia non ſuppetant, grata ſaltem animi recordatione,noſtram erga te voluntatem perſpicere queas. Vnùm tamen,finem dicendi vt faciam, te ac lectores quoſcunque beneuolos rogo, atque obſecro, hæc munuſcula conatuſque noſtros tam boni conſulatis quàm maximè: & à Deo optimo Maximo imprimis optetis, vt hoc lumen Logicum cum diuini numinis gloria & Reipub. commoditate ad omnium artium & ſcientiarum vtilitatem tendat.

TVI OBSERVANTISSIMVS
Rolandus Makylmenæus.



P. RAMVS LECTORI, S.



RCHIMEDES (*Lector*) *sphæræ & cylindri rationem (in cuius inuentione vehementius elaborasset) sepulchro suo incidi voluit. Et quidem si me de vigiliis studiisque meis interroges, sepulchri mei columnam è logicæ artis institutione desiderem. De caussa voti respondebunt, primò ad artis accurationem, libri de inuentione argumentorum & eorum dispositione ad indicandum non solum ab Aristotele organici, Rhetorici, Physici, sed à Cicerone & Quintiliano tam multi oratorij: in quibus vniuersis in duorum libellorum pugnum ratione viáque contrahendis omni studio diligentiáque contendimus, ne qua Logicæ particulæ cuiusquam vel vmbra illic cõfusa esset, cuius veritas non hic expressa teneretur. Atque hæc prima problematis Archimedei conscientia erit. Respondebunt deinde ad Logicæ vsum, elegantiam, dignitatem partibus omnibus explicandum excitatæ Logicis meditationibus, cũ populares poëtarum, oratorum, historicorum laudes, tum liberales & ingenuæ artes noui corporis noua specie sui studiosis adolescentiores, præclarisque dotibus*

tibus ornatiores & locupletiores facta: ac ne qua agrestium procorum proteruia timeretur, suarum quaeque scholarum tanquam liberali custodia septa & comitata. Haec secunda problematis Archimedei conscientia erit. Testes igitur isti Logicam & veritatem & vtilitatem tot dierum noctiúmque vigiliis exquisitam testati de voti nostri caussa respondebunt: Teque (Lector) vt spero, commonefacient, insanam nescio quàm in plerísque omnibus Europae academiis altercandi de suis praeceptis sophisticam, Logicae & veritatis & vtilitatis longe dissimilem esse: téque ad veriora & vtiliora praestantissimae facultatis studia praemiáque inflammabunt. Ecquid verò intereà turbae tam graues obiectae, theatra scenicis probris extructa, tribunalia, iudicum poenis minacia, damnatio tandem foedis ignorantiae calumniaeque notis infamis, è toto Philosophiae regno manibus & lingua velut amputatis inaudita praescriptio, an exiguam voti nostri caussam perhibebunt? Quid cõsecuta per Henricum Regem à iudicij tam dementis inuidia liberatio, & in solidam sanctioris iudicij laudem regia professio? Quid posteà (cùm logicus hic ardor in religionis caussam inuasisset) longè grauissima offensio, vitae salutísque propterea tribus iam bellis ciuilibus iactatio nullámne voti nostri caussam indicabunt? imo verò etiam admonebunt, vt Deo Optimo & Maximo gratias habeamus, quod studiorum nostrorum cursum hoc tanquam circo

agitari & exerceri, neque tamen vlla metarum conuersione frangi voluerit. Ideóque obtestor vt logicum lumen in bonis & veri percipiendi studiosis ingeniis accendat: cúmque ad ingenuas artes exornandum tum ad cœlestia sacræ doctrinæ mysteria illustrandum magis ac magis augeat: perficiátque vt isto in nominis sui gloriam epigrammate logici epitaphij tabula concludatur.

P. RAMI.



P. RAMI DIALECTICÆ LIBER PRIMVS

DE INVENTIONE.

CAP. I. *Dialecticæ.*



IALECTICA est ars bene disserendi: eodémque sensu Logica dicta est.

Cicero in principio Top. Arist. Cap. 1. li. 1. Top. Plato in Albiciade, Cratylo, Phædro & 7. de Repub. Arist. primo Elench.

Dialecticæ partes duæ sunt, Inuentio & iudicium. Inuentio est pars Dialecticæ de inueniendis argumentis: Argumentum est quod ad aliquid arguendum affectum est: quales sunt singulæ rationes solæ & per se consideratæ. Argumẽtum est artificiale aut inartificiale: Artificiale, quod ex sese arguit: est autem primum vel à primo ortum:

Aristo. in 1. Analytic. 8. Topi. capi. 1. 3. Rhet. c. 1. Cice in initio Topi. Quintillian. in fine lib. 5. Adrastus peripateticus Cicero in Top. 5. c. 14. lib. 5.

Primum, quod est suæ originis: estque simplex aut comparatum. Simplex, quod simpliciter & absolutè consideratur: Estque cõsentaneum aut dissentaneum. Cõsentaneum est, quod consentit cum re quam arguit: estque consentaneum absolutè aut modo quodam: absolutè, vt caussa & effectum.

Arist. cap. 2. primi Rhe. ad Theodect. & 8. c. ad Alex. Cice. in orat. Dialogis, in partit. in Top. Quintil. li. 5. cap. 1.

Arist. 7 c. lib. 1. posteriorũ.

CAP. II.

De efficiente procreante & conseruante.

Doctrina generalis caussarũ tractatur ab. Arist. 11. 12. 13. & 17. cap. post. & in totis Topicis In 2. primis li. Phisic. & 2. prima Phil. li.

Caussa est, cuius vi res est. Itaque primus hic locus inuentionis, fons est omnis scientiæ: scirique demum creditur, cuius caussa teneatur: vt meritò dicatur à Poëta:

Fœlix, qui potuit rerum cognoscere caussas.

Arist. 2. Phisic. & in Philoso. 2. c. li. 5.

Plato in Philebo, in Hippia maiore.

Arist. in Philosop. c. 1. li. 5.

Caussa est efficiens & materia, aut forma & finis. Efficiens est caussa, à qua res est: cuius etsi vera genera nulla nobis appareant, vbertas tamen permagna modis quibusdam distinguitur: Primò quòd procreet aut tueatur. Ouidi. 4. de Remedio:

Ergo vbi visus eris nostra medicabilis arte,
Fac monitis fugias otia prima meis:
Hæc vt ames, faciunt: hæc quæ fecere, tuentur.
Hæc sunt iucundi caussa cibúsque mali.
Otia si tollas, periere cupidinis arcus:
Contemptæque iacent & sine luce faces.

Posita a si, ponitur effectus.

NEQVE id solùm (pacem habemus & spe gloriæ diuinæ gloriamur) sed etiam gloriamur in opressionibus, scientes quòd oppressio patientiam efficiat: Patiẽtia verò experientiam, experientia autem spem. Porrò spes non pudefacit, quòd charitas Dei effusa sit in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Rom. cap. 5. 3.

Deus res omnes conseruat & tuetur.

DEVS quidem est vnus, qui & omnium pater. Is autem non est, vt quidam existimant, extra mundi administrationem, sed est totus in ipsa, in toto circulo speculator

lator totius generationis, vniuersorum contemplatio, qui semper est, & suas facultates deducit ad opus, omnium in cælo illustrator operum, mens & illuminatio toti circulo. Pythagor.

Ex motu puncti linea generatur: ex motu lineæ superficies: ex motu superficiei solidum. Hic motus vnius est causa generationis alterius.

Haec Galeno teste sanitatem pariunt, & partem tuentur atque conseruant. In pueris: lac, musica, motus, ioci. In prouectioribus: frictio, vnctio, diæta moderata & frigida, exercitatio modica, aër ambiens purus, nitidus corporis cultus, excrementorum opportuna vacuatio, abstinentia à venere, vino, & calidis. Deinde magis adultis, qui vigesimum annum superauerũt, labor cibum præcedat: cibus, potus, somnus, venus, omnia mediocria. Lib. 1. & 2. de Sanitate tuenda. Huc pertinent prædictiones, & prænotiones medicæ quibus quid ex quaque causa futurum sit prædicunt. *Causa efficientes sanitatis & conseruantes.*

Eorum quidem quæ generantur in sublimi, primum efficiens, & proprium atque primum orbis est, in quo præcipuè sol qui motu & cursu suo dissipat, & conglobat, originis interitúsque rerum est causa. Arist. lib. 1. cap. 9. Metheorum.

Obligationis causa est contractus: nam ex contractu oritur obligatio: ex obligatione actio. Sophonius domum à Titio emit: ergo Sophonius Titio obligatione obstrictus est. Locatio & Conductio contrahitur consensu: Sempronius dum locatur ei à Titio consensit: ergo Sempronius cum Titio contraxit.

Primvm igitur considerandum est, quod nam sit regium officium. Atque illud arbitror constare inter omnes, conuenire eis, vt ciuitatem à calamitatibus liberent, & res eius secundas tueantur, & ipsam è parua magnam efficiant. Isocra. ad Nicoc. *Regis est liberare tueri efficere.*

Si qvis vestrûm Athenienses indagare velit, quæ causa sit, quidve efficiat, vt senatus conueniat, vt popu- *Effecta legis.*

lus in concionem aſcendat, vt iudicia frequententur, vt veteres magiſtratus nouis cædant, vt omnia per quæ vrbs regitur & conſeruatur fiant: leges in cauſa eſſe, & quæ legibus præſtatur, obedientiam inueniet: quæ ſi abrogentur, & pro ſua cuique libidine viuendi licentia detur: non Reſpub. duntaxat intereat, ſed nihil etiam inter noſtram & beluarum vitam interſit. Quid enim ipſum futurum putatis abrogatis legibus: qui vigentibus illis eſt talis? Cùm autem in confeſſo ſit leges proximè & ſecundum deos conſeruatrices eſſe Reip. decet omnes vos perinde acſi ad collectam complendam ſederetis, obtemperantem illis, vt qui ſalutis ſtipem ferat patriæ, honorare & laudare: contumacem punire. Demoſt. contra Ariſtogitenem.

Tolluntur legis effecta, ſublata lege.

Leges conſeruant Remp.

MEMORIA veſtra Quirites, noſtræ res alentur, ſermonibus creſcent, literarum monumentis inueteraſcẽt & corroborabuntur. Cic. 3. Catel.

Memoria, ſermones, literarum monumẽta quid faciant.

Sic pater & mater procreant: nutrix tuetur: 4. Æneid.

Nõ tibi diua parẽs generis, nec Dardanus author
Perfide: ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus, Hyrcanæque admorũt vbera tigres.

SIC PATER 2.

VBI eſt zelus tuus & fortitudo tua, multitudo viſcerum tuorum & miſerationum tuarum? mihi continẽt ſeſe. Tu enim pater noſter es etiamſi Abraham neſciat nos, & Iſraël non agnoſcat nos: tu tamen Iehouah pater noſter, redemptor noſter, à ſæculo eſt nomen tuum. Eſa. 63. 15.

Commiſerat. à cauſa procreante.

AB hoc ſummo bono (Deo Patre) ratione quadam hominibus incognita, genitam mentem (filium) tradit Plato, quæ per ſe ipſam exiſtat: in qua videlicet ſunt veræ res, & omnis rerum ſubſtantia, quod & primo pulchrum, & per ſe pulchrum ſit. Proceſſit autem ante ſæcu-

Pater ab omni æternitate fuit filij pater & cauſa.

ſæcula, ab authore Deo promanans, & per ſe genita exiſtens: Porphy. lib. 4. de Philoſ. Hiſt.

VTRVM illud dicam, patrem tuum Trometem ſeruiſſe ſeruitutẽ apud Elpiam, qui literas docuit ad Theſæi fanum, craſſis compedibus & ligno vinctum? Aut matrem tuam quotidianas nuptias in fornice apud Calamitem heroem celebrantem, te nobis elegantem iſtam ſtatuam, & ſummum hiſtrionem edidiſſe. Demoſth. pro Corona:

Taxatur Æchines à cauſis generantibus.

MVLIER, quid tibi cum Cælio? quid cum homine adoleſcentulo? quid cum alieno? cur aut tam familiaris huic fuiſti, vt aurum commodares: aut tam inimica vt venenum timeres? non patrem tuum videras: non patruum non auum, proauum, attauum, audieras conſules fuiſſe? Cice. pro Cæl.

Vrget orator cauſis procreãtibus.

Nam pater & mater tui ſunt in inferis,
Fieri nequit frater vt illi germinet. Soph.

Sublata cauſa, tollitur effectum.

Sic vrbium cæterarumq́; rerum cõditores & inuẽtores vt Romulus Romanæ vrbis conditor, Reges deinde reliqui, Conſules, imperatores, tutores & conſeruatores fuere.

(FILIVS) eſt imago Dei incõſpicui primogenitus omnis rei creatæ. Nam per eum condita ſunt omnia, quæ in cælis ſunt & quæ in terra, viſibilia & inuiſibilia, ſiue Throni, ſiue Dominia, ſiue Imperia, ſiue Poteſtates, omnia inquam per eũ & eius reſpectu cõdita ſunt. Hic filius Dei eſt cauſa creationis omnium rerum. Ex his Paulus æternitatem Filij manifeſtè concludit, quòd cauſa ſuum effectum ſemper antecedere intelligatur. Et eſt, inquit, ipſe ante omnia, & omnia per eum conſiſtunt. Coloſ. cap. 1. 15.

Filius Dei omnia cõdidit

Inuentum medicina meum eſt, opiſexq́; per orbem
Dicor, & herbarum eſt ſubiecta potentia nobis.
Apollo de ſe 1. Metamorph.

Cauſa inuentrix.

CAP. III.

De efficiente sola & cum aliis.

Plato in politico. Arist. cap. 5. lib. 5. Philos. & cap. 2. lib. Physicorum Cicero in fato.

Secundo caussa efficiēs sola efficit aut cum alijs. Earumqúe omnium sæpe alia principalis, alia adiuuans & ministra. 9. Æneid. Nysus auocat ab Euryalo in se factæ cædis & culpam & pœnam : quia solus author fuerit:

Me me : adsum, qui feci : in me conuertite ferrū
O Rutuli : mea fraus omnis : nihil iste nec ausus
Nec potuit ----

Esai. Cap. 43. vers. 11.

Iehoua est solus Deus: solus Omnipotens, solus Saluator & condemnator, solus peccata remittit.

Ego, ego Iehouah, & non est præter me seruator. Ego annuntiaui, & seruaui, audire quoque feci, & non fuit in vobis Deus alienus : vos autem testes mei, dixit Iehouah, & ego Deus. Et iam à die ego sum,& non est qui de manu mea eruat : operabor, & quis reuocabit illud ? Hinc illud Iacobi cap. 2. Vnus est legislator, qui & seruare potest & perdere:& illud Pharisæorum: Quis potest remittere peccata nisi solus Deus?

Vnus solus creator.

In veritate est vnus, est vnus Deus,
Qui machinam cœli solique condidit:
Sed errantes proh dolor lucro nos homines,
Et recreantes qui incidunt casus graues,
Deos quidem aureos & ligneos,
Et lapideos posuimus, & festos dies
His celebrantes, esse dicunt pios.

Huc pertinent demonstrationes quamobrem,vbi affectio per primam & solam causam demonstratur de subiecto, hanc tibi sume pro exemplo:

Propius esse à nobis est caussa cur stellæ nullis micant radijs.

Quæ propius sunt à nobis,nullis micant radijs:
Stellæ errantes propius sunt à nobis : Ergo nullis micant radijs.
Sic lunæ oppositio in capite vel cauda Draconis,est solis ecclypseos causa efficiens.

In

In morbis multæ causæ concurrunt: Antisthenes tamen Dælius medicus vel vnam hanc dixit morborum omnium causam, in ciborum varietate ingluuiem. *Ingluuies variorum ciborũ sola morborum causa.*

Perspicuum est aliquod primum esse, & vnum quod omnia complexu suo cõtineat, idque cum extra res singulas sit, causam esse & originis rerum, & interitus, perpetuæque mutationis, ipsúmque quibusdam hæc ipsa cæteris causam motus dare. Arist.lib.8.Phis.cap.6.

Sapientia efficit sapientes sola per se: Beatos efficiat nec ne sola per se, quæstio est. Cic.in Top.

Patria tecũ Catilina sic agit, & quodamodo tacita loquitur. Nullum iam tot annos facinus extitit, nisi per te, nullum flagitium sine te: tibi vni multorum ciuium neces, tibi vexatio, direptióque sociorum, impunita fuit ac libera: tu non solùm ad negligendas leges & quæstiones, verumetiam ad euertendas perfringendásque valuisti, quamobrem discede, atque hunc mihi timorem eripe. Cic.

» Solitaria caussa cum plerisque & princi-
» palibus & socijs pro Marcello variè adhibe-
» tur. Nam bellicas laudes (ait Orator) solent
» quidam extenuare verbis, eásque detrahere
» ducibus & communicare cũ multis, ne pro-
» priæ sint imperatorum: & certè in armis, mi-
» litum virtus, locorum opportunitas, socio-
» rum auxilia, classes, commeatus multum
» iuuant: maximam verò partem, quasi suo
» iure fortuna sibi vẽdicat, & quicquid est pro-
» sperè gestum, id penè omne ducit suum. At
» verò huius gloriæ, Cæsar, quam es paulò an-
» te adeptus, socium habes neminem: totum
» hoc, quantumcunque est (quod certè maxi-
» mum est) totum (inquam) est tuum. Nihil

tibi ex iſta laude centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit: quinetiam illa ipſa rerum humanarum domina fortuna in iſtius ſe ſocietatem gloriæ non offert: tibi cedit, tuam eſſe totam ac propriam fatetur.

Cum aliis. ELEGANTI cauſarum gradatione vtitur Apoſtolus ad Rom. 10. 13. Quiſquis inuocauerit nomen Domini, ſeruabitur. Quomodo igitur inuocabunt eum in quem non crediderint? quomodo autem credent ei, de quo non audierint? quomodo autem audient abſque prædicante? Quomodo autē prædicabunt niſi miſſi fuerint? Ergo fides ex auditu eſt: auditus autem per verbum Dei.

Quæris cur Iudas factus eſt Chriſti proditor?

1. Cauſa. Quia auarus fuit, & fur habens loculos (Io. 12.)

2. Quia diabolus ad tātū flagitiū impulit. (Lu. 23. Io. 13)

3. Quia Deus iuſtè punire voluit illius malitiam antecedentem. (Act. 2.)

Maximum eſt huius Topici vſus apud medicos.

Variæ enim morborum ſtatuuntur cauſæ efficientes: vt eorum quæ in caliditatis intemperie conſiſtunt cauſæ eſſe poſſunt, motus vehemens, putredo, vicinia corporis feruidioris: vt ignis, balnearum, ſolis: Ira, vis, laſcitudo. Frigidæ autem ægritudinis cauſæ eſſe poſſunt, frigidorū propinquitas, ocium, adſtrictio. Affectionis autē ſiccæ: curæ, vigiliæ, aëris circumfuſi ſiccitas, natationes in aqua quæ nitri, aut ſulphuris, aut aluminis, aut butiminis eſt particeps, & quæcumque medicamenta vim habent exiccandi, ſiue intro aſſumantur, ſiue foris exhibeantur. Humidorum autem morborum cauſæ ſunt contrariæ, veluti ciborum qui humidiori natura conſtant copia, & potuum exceſſus, & omnis viuendi ratio delicatior, & animi ſecuritas, & balnearum ex aquis dulcibus plurimus vſus, præſertim poſt cibum: ſic & tota vita ocioſa, atque omni labore vacans, & pluuiarum abundātia, atq; omnis

omnis ſtatus temporis humidus, & medicamenta quæ humectandi babent poteſtatem.

Quod ſi numinis alicuius aut fortunæ vis, aut ducum ſocordia aut veſtra Æſchines, qui vrbes proditis, improbitas, aut hæc ſimul omnia ſummæ rerum tantiſper incommodarunt, dum eam ſubuertiſſent: quid Demoſthenes deliquit? pro Corona.

Demoſt. ſe excuſat quod non ſit ſolus cauſa.

Earúmque omnium:

Quis eſt Paulus, quis autem Apollos, niſi miniſtri per quos crediditis, & vt cuique Dominus dedit? Ego plantaui, Apollos rigauit, ſed Deus dedit incrementum. Itaque neque is qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat: ſed Deus qui dat incrementum. 1. Corinth. 3. 5. & Paulo poſt 4. Cap. ver. 1.

Cauſæ adiuuantes & miniſtræ Apoſtoli, & Deus principalis.

Sic de nobis reputet homo, vt de miniſtris Chriſti, & diſpenſatoribus myſteriorum Dei. Et ibidem. ver. 15. In Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui.

Pytho Athenienſibus ob res fœliciter geſtas ipſum admirantibus ac prædicantibus, quòd Cotyn regem interemiſſet: dijs, inquit, habenda eſt gratia quibus authoribus hoc facinus præclarum geſtum eſt. Nam ipſe nihil aliud quàm manum & operam meam commendaui. Euentus rei in manu Dei eſt, & huic debetur gratia, ſi quid fœliciter ceſſerit: Sed interim vult noſtram operam accedere. Plutarch. in Policitis.

Conſenſus in matrimonio eſt primaria matrimonij cauſa, per regulam Nuptias conſenſus, non concubitus facit, ſic in actione reali princeps cauſa eſt Dominiũ: in actione perſonali, princeps cauſa eſt obligatio.

Quod ſi hęc ego dicere aggrediar, vos a me excitatos eſſe ad elationem animorum dignam maioribus: Nemo eſt qui me reprehẽderet. Nũc ego veſtra hæc eſſe inſtituta declaro & oſtendo, etiam ante me his animis fuiſſe Remp. cæterùm miniſterij partem in ſingulis rebus geſtis ad me quoque eſſe referendam affirmo. Iſte autem dum omnium me accuſat, & ſuccenſere mihi vos iubet,

Demoſthenes eſt tantùm miniſter.

vt qui terrorum & periculorum causa Reipublicæ fuerim: non mihi tantùm hunc honorem eripere studet: sed laudationibus etiam vos: & omnem posteritatem priuat. Demost. pro Corona.

Instrumenta etiam in caussis adiuuantibus connumerantur, quo argumēto impius Epicureus disputat mundum nunquam esse factum. 1. de Nat. Quibus enim (ait) oculis animi intueri potuit vester Plato fabricam illam tanti operis, qua construi à Deo atque ædificari mundum facit? Quæ molitio? quæ ferramenta? qui vectes? quæ machinæ? qui ministri tanti operis fuerunt?

Heb. 11. Hîc impius Epicurus omnia humano cerebro librauit, neque illud Pythij legisse videtur, quæ in Deo dixit perinde esse dicere ac facere, sed audiat si velit fide nos intelligere facta fuisse secula verbo Dei, vt ex his quæ non apparebant ea quæ videntur fierent. Si authoritas non placeat suam audiat Sibyllam:

At rex supremus qui mundum condidit omnem
Sic fatus, fiat factumq́ est. Namque locauit
Tellurem circa nigra tartara, dulcéque
Lumen adidit, & cælum partes euexit in altas,
Hæc verbo fecit, & sunt protinus omnia facta,
Et planè: siquidem per se parit ipse sua vi.

Ego ne Titium interfeci inermis cùm sim? Vbi gladius &c,

CAP. IIII.

De efficiente per se & per accidens.

Arist. 5. ca. 2. Physic. Idē in Ethicis ad Nicomachum.

Tertiò, causa efficiens per se efficit aut per accidens: Per se, quæ sua facultate efficit: vt quæ

quæ natura vel consilio faciunt. Ventorum naturalis efficientia est. 1. Æneid.

Incubuere mari totúmque à sedibus imis
Vnà Eurúsque notúsque ruunt crebérque procellis
Africus & vastos tollunt ad littora fluctus.

Apud vosmetipsos iudicate, num decorum est mulierem non velatam Deum orare? An ne natura quidem ipsa hoc vos docet, quòd viro quidem, comatum esse dedecori sit: Contra mulieri, comatam, gloriæ sit? Nam coma pro velamine data est ei. 1. Cor. 11. 13.

Latus est hic cāpus apud medicos & Phisicos: omnia enim elementa, orbes, plantæ, stellæ, cælum denique ipsum, vi quadam ingenita & inata agunt. Sic ignis vrit sol lucet: sic herbæ gemmæ omnesq; res naturales agūt, ipsius videlicet naturæ vi. Omnia meteora, pluuia, nix, grando, tonitrua, turbines, fulgura: omnia terrestria, arbores, herbæ, aquarum scatebræ, & quæ in immēsis terræ visceribus crescunt, ferrum, æs, aurum, huius naturæ conatu atque opera producuntur: prętereà arteriarum & cordis motus sunt naturæ opus: singularum partium actiones, attrahere, concoquere, retinere & expellere.

Est enim (iudices) non scripta sed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus: Verùm à natura ipsa, arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti sed facti, non instituti, sed imbuti sumus, vt si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, in tela aut latronum aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis. Cicero.

Quæ iure illo fiunt, quę natura omnia animalia docuit, sunt naturę effecta, & horū omnium est natura caussa. Huiusmodi sunt maris atque fœminæ coniunctio: Liberorum procreatio & educatio: nos & quæ nostra sunt tueri atque defendere. Natura mas fœminæ amore & cupiditate capitur: ergo verisimile est Titium etiam

Berthæ amore & cupiditate captum fuiſſe.

Conſilij exemplum eſt illa Ciceronis de ſe confeſſio. Suſcepto bello, Cæſar, geſto etiam magna ex parte, nulla vi coactus, iudicio meo, ac voluntate ad ea arma profectus ſum, quæ erant ſumpta contra te.

EGRESSI ſunt itaque vniuerſa ſynagoga filiorum Iſraël à facie Moſeh. Venerúntque omnis vir cuius cor eleuauit ipſum, & omnis cuius ſpiritus erat ſpontaneus apud ipſum, attulerúntque oblationem Iehouæ apud opus tabernaculi eccleſiæ, & ad omne opus eius, atque ad veſtes ſanctitatis. Venerunt, inquam, viri cum mulieribus, omnis ſpontaneus corde, attulerunt fibulas, &c. Omnes voluntario ad Iehouam munere fungebantur. Exod. 35. verſ. 20.

Ratione quoque & conſilio liberáque voluntate agũt Angeli, Archangeli, omnéſque cælicolæ & imprimis Deus.

Sic homo eſt efficiens cauſa contractus alicuius.

Vos ſi vt homines negotia cõſiderare vultis, fœliciſſimam è meis conſilijs vrbem eſſe factam reperietis: ſin quæ Dij ſoli eximia tenent vos conſequi poſtulatis, ea quæ fieri nequeunt affectatis. Demoſt. Epiſ. 4.

Qui data opera aliquid mali agunt, non mœrentur veniam. Hinc illud Demoſthenis aduerſus Timocratem. Iam Timocrates quoniam & clanculum & ſubitò, & contra leges, iſtam legem in cæteras intruſiſti, potius quàm tuliſti, omnem tibi poſtulãdæ veniæ cauſam ademiſti. Nam eis qui peccant inuiti, venia cõcedi debet, non eis qui de induſtria ex inſidijs delinquunt, id quod te nunc facere conſtat.

Hic Medici & Phiſici latè ſpaciantur. Actiones enim aliæ ſunt naturales, de quibus prius diximus: aliæ quæ voluntate, & ſpontè ab anima fiunt. Iacere telum volũtatis eſt: Item ſurgere, loqui, & reſpirare.

Per accidens efficit caussa, quæ externa facultate efficit: vt in his, quæ fiunt necessitate vel fortuna: necessitate, cùm efficiens vi cogitur ad effectum, qualis est Pompeianorum excusatio. At mihi quidem (ait Orator) si proprium & verum nomen nostri mali quæratur, fatalis quædam calamitas incidisse videtur & improuidas hominum mentes occupauisse: vt nemo mirari debeat humana consilia: diuina necessitate esse superata. *Arist.5. cap. lib.5. Philoso. & cap.2.li.6. & 7.c.lib.11.*

HIC necessitas pro violentia accipitur, iuxta illud Eueni. Omne necessarium, res violenta est. Porrò magnum est discrimen inter necessitatem & violentiam: multa enim diuina prouidētia facimus, quę nulla vi coacti facimus. Etenim si Euangelizem, inquit Paulus, non est quod glorier: necessitas enim mihi incumbit. væ autē mihi est, nisi euangelizem. Nam si volens hoc faciam, mercedem habeo: sin inuitus, dispensatio credita est mihi. 1. Cor. 9. 16.

Neque quicquam interea mali & damni patietur antequam
Ipse suam terram conscendat. Deinceps autem
Patietur quacunque fatum, parcæque graues,
Iam nato nerunt filo, quando ipsum peperit mater. Odyss.

Huc referri potest cū dicimus nos inuitos ad aliquid faciendū cogi nisi in grauiora velimus incidere pericula. Hoc pacto docet Christus à necessario, Iohā.3. eos qui-suam fidem in Christo testari velint, oportere Baptismi signaculum accipere, mensæ item dominicæ participes fieri. vt, Nisi quis fuerit genitus denuò, non potest videre regnum Dei.

Hinc aliquando sumitur deprecatio, cùm nos inuitos aliquid fecisse asserimus, & in causam externam culpam rei reijcimus. Vt siquis dicat: Inuitus pecco, quia Deus me cogit, quam argumentationem Homericus Iupiter in mortalibus reprehēdit tāquam à non causa pro causa

Heu heu quàm falso mortales numina culpant!
Esse malum a superis affirmant, quum tamen ipsi
Criminibus proprijs homines sibi damna crearint.

Et illud Demost. Si quem potes Æschyne, qui sub hoc sole sunt, referre mortalium, qui indemnis & expers olim Philippi nunc Alexandri fuerit dominatus, siue græcorum, siue barbarorum: esto, concedo tibi meam siue fortunam, siue infortunium nominare mauis omnium malorum fuisse causam. Si verò eorum, qui neque me viderunt vnquam, neque vocem meam audierunt, multi multa acerba sunt perpessi, non modo viritim, sed & totæ vrbes & gentes, quanto est æquius & verius omnem, & par est, mortalium communem fortunam, & impetum quendam rerum grauem, & alium quam opportebat, horum causam existimare? quibus tu omissis me qui tali statu rerum gessi Remp. criminaris: idque cùm scias, si non totum, partem saltem conuitij conuenire in omnes & in te maximè Demosth. Pro Corona.

Multum interest in iure ciuili spontè ne agat aliquis, an vi coactus, Nam vt ait Demosth. Siquis volens damnum dederit, duplum: si inuitus, simplũ pro dato damno soluere iubetur. Neque ijs qui inuiti benefaciunt referenda est gratia, iuxta illud:

Si iniusta in illum est omnis iracundia,
Qui quempiam læsit per imprudentiam:
Non est habenda ei vlla iure gratia,
Necessitate qui coactus profuit.

Arist. 5. & 6. cap. 2. Phisic. & 7. cap. 11. Philos. Plinius lib. 7. Cice. 3. de Nat. deorum.

Fortuna est caussa per accidens, quando præter efficientis scopum aliquid accidit. Sic casu fortuito (ait Tullius 3, de Nat. Deorum) Phereo Iasoni profuit hostis, qui gladio vomicam eius aperuit, quam sanare medici nõ poterant.

HVIVS Topici nullus vsus est in sacra pagina, nisi fortè hæc mimeticos à Salomone dicantur.

Con-

Conuersus sum, & vidi sub sole quod non est velocium cursus, nec est fortium bellum, sed nec sapientum panis, neque prudentium diuitiæ, neque etiam scientium est gratia: sed tempus & casus accidit omnibus. Quia etiam nescit homo tempus suum: sicut pisces qui capiuntur reti malo, & vt aues quæ capiuntur laqueo, sic capientur filij hominum in tempore malo, quum irruerit super eos repentè.

Iacere telum voluntatis esse diximus, sed ferire quem nolueris, Fortunæ est. ex quo Aries ille subijcitur in iuris actionibus si telum manu fugit, magis quàm iecit, Cicero in Topicis.

Multum enim interest data opera aliquid facere & fortuitò. Nam Demosth. aduersus Midiam: Leges, inquit, capitalium facinorum, cædes consilio factas, morte, perpetuóque exilio & publicatione bonorum puniunt, qui autem fortuitò cædem fecerũt, cum his multo remissius, & humanius esse faciendum sanxerunt.

Arbitror autem, si quis eos ipsos qui in acie steterunt, roget, vtrum existiment se, suapte virtute, an insperata & impotenti fortuna rem bene gessisse, suique imperatoris peritia, & audacia, & animositate: neminẽ ita vel impudentem vel confidentem fore, qui res gestas sibi vendicet. quum igitur rerum fortuna omnium domina euentum suo arbitratu gubernauit, in ijs cæterorum nulli prorsus cum quidem homines fuerint, ignauiæ sunt accusandi, Oratio funebris.

In hoc genere caussarum imprudentia cõnumerari solet. Ouid. 2. Trist.

Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci?
Cur imprudenti, cognita culpa mihi est?
Inscius Actæon vidit sine veste Dianam:
Præda suis canibus nec minus ille fuit.
Scilicet in superis etiam fortuna luenda est:
Nec veniam, læso numine, casus habet.

Sic quæ ira commoti facimus, imprudentia quadam fieri dicuntur, & veniam merentur. Sic Demosth. cum Midia agit.

Midias nullam defensionem habet. Quæ causa enim, humana saltem, quæ mediocris excusatio, facinoris illius proferetur? iracundia nimirum, nam hoc fortasse dicet. Nam ad quid aliquis subitò, non expectato consilio mentis, facienda impulsus fecit, etiamsi contumeliosè fecerit, per iram tamen esse facta dicere potest: quæ verò dum ante præmeditatus, continenter per multos dies contra leges palàm facere deprehenditur: non modò abest ab eo vt iratus fecerit: sed nemini dubiũ iam esse debet, quin de industria datâque opera talis homo contumeliam fecerit.

Ista aliquando etiam in legibus venia donantur, & excusant homines in criminibus: vt si iracundia commotus, conuitia in aliquem congero, si ad me reuersus non porrò perseuerauero, veniam mereor. Item si propter linguæ lubricitatem contumeliosus fuero in aliquem, non ilicò puniendus sum: nam lubricum linguæ ad penam facti trahendum non est. Sic simplicitas seu imperitia qualis in rusticis esse solet, regulariter excusatur.

Hinc sumitur deprecatio: qualis est pro Ligario: Ignosce pater: errauit: lapsus est: nõ putauit: si vnquã post hac? Et paulò post. Errauì: temerè feci: pœnitet: ad clemẽtiam tuam confugio: delicti veniã peto: vt ignoscas oro. Fortunæ autem nomen ignoratio caussarum confinxit: cùm enim aliquid præter cõsilium spémque contigerit, fortuna vulgo dicitur: nec inscitè Iuuenalis,

Nullum numen abest, si sit prudentia: sed te
Nos facimus, fortuna, deam, cœlóque locamus.

Hinc

HINC ſtultus apud Menandrum in hũc modum argumentatur.

Adeſſe ſemper non decet prudentiam,
Etiam fortuitò euenire aliqua oportet.

Nam Epicurus ſolebat dicere:

Exigua fortuna interuenit ſapienti.

Et Philemon Comicus:

Fortuna non eſt nobis vſquam vlla dea,
Non eſt, ſed vnicuique quod euenerit,
Caſuq́; fit, fortuna nobis dicitur.

CAP. V.

De Materia.

Materia eſt cauſſa, ex qua res eſt. Hoc argumento ficto, apud Ouid. 2. Metam. ſolis domus auro, pyropo, ebore, argento componitur. *Ariſt. 3. c. 2. Phiſicorum.*

Regia Solis erat ſublimibus alta columnis,
Clara micante auro, flãmâſque imitante pyropo:
Cuius ebur nitidum, faſtigia ſumma tegebat:
Argenti bifores radiabant limine valuæ.

Cæſar 1. bel. ciuil. Imperat militibus Cæſar, vt naues faciant, cuius generis eum ſuperioribus annis vſus Britãniæ docuerat: carinæ primum ac ſtatumina ex leui materia fiebant: reliquum corpus nauiũ viminibus contextum, corijs integebatur.

PRIMVS homo inquit Apoſtolus, è terra, terrenus. 1. Cor. 15. 47. Formauit Dominus Deus hominem puluerem de humo, Geneſ. 2. Hinc illa Abrahæ argumentatio Geneſ. 18. 27. Næ ego audax qui cum domino meo colloquor, cùm ſim ipſe puluis & cinis.

Ieſum propoſuit Deus, vt eſſet placamentum per fi-

dem, in ſanguine ipſius, ad declarandam iuſtitiam ſuam, per remiſſionem præcedentium peccatorum, ex Dei tolerantia ad declarandam iuſtitiam ſuam.

Hic habes noſtræ regenerationis cauſam efficientem Deum patrem: materialem, Chriſti ſanguinem: inſtrumentalem, qua eam apprehendimus, fidem: finalem denique, vt ipſe iuſtitiam ſuam demonſtret.

Si te inquit Callimachus finxit Prometheus, & non ex alio luto factus es, ne ſuperbias.

Omnis angulus qui continet duas medietates duorum rectorum angulorum, eſt rectus:

Sed Angulus D cadens in ſemicirculo A B C eſt eiuſmodi:

Ergo Angulus D in ſemicirculo A B C cadens eſt rectus: Ariſt. 2. Phiſic. Euclid. 3. Hic partes toti comparatæ habent materiæ rationem.

Corpora omnia ſuam habent materiam, ſiue ſimplicia ſiue concreta: ſtipulæ, faces, capræ ſaltantes, ſtellæ traiectæ, flamina, hiatus, foſſæ exhalationem: pluuia, nubis, ros, pruina, grando, &c. vaporem. Nullus præceſſit vapor: ergo pluuiæ fieri non poſſunt. Stellæ non ſunt ex elementis conflatæ, nihil ergo terreni continent, nec vaporibus aluntur. Omnia quæ oriuntur, generantur & creſcunt: Metalla, homines, arbores ſuam habent materiam.

Morborum varia eſt materia: humores quatuor, ſanguis, pituita, bilis, melancholia: putridus humor, ſpiritus flatulentus & id genus alia.

Medicamenta omnia ſuam habent materiam: pharmaca, potiones, pillulæ. Quis eſt qui morbum rectè curare poteſt, niſi prius materiam morbi cognouerit? Quis pharmacorũ æquus æſtimator, qui fuerit huius categoriæ ignarus? Illud enim inter omnes conſtat, pro varietate materiæ alia atque alia adhibẽda eſſe remedia. Non abundat bilis: ergo exquiſita tertiana nõ laborat. Vinum & mel non adſunt: ergo nec mulſum fieri poteſt.

CAP.

CAP. VI.

De Forma.

Cauſſæ primum genus eiuſmodi eſt in efficiente & materia : ſecundũ ſequitur in forma & fine. Forma eſt cauſſa, per quam res eſt, id quod eſt: ideóque hinc à cæteris rebus diſtinguitur : & forma ſimul cum re ipſa ingeneratur. Anima rationalis eſt forma hominis quia per eam homo eſt homo,& diſtinguitur à cæteris omnibus naturis. Geometricarum figurarum in triangulis, quadrangulis ſua forma eſt: Phyſicarum cæli,terræ,arborum, piſcium ſua forma eſt, vnde præcipua rerum vt natura eſt,ſic erit explicatio,ſi poſſit inueniri:vt inartificioſis rebus facilius occurret. Cæſar. 7.
„ Muri autẽ omnes Gallici hac fere forma ſunt:
„ trabes directæ perpetuæ in longitudinẽ, pari-
„ bus interuallis diſtãtes inter ſe binos pedes, in
„ ſolo collocantur: hæ reuinciuntur introrſus &
„ multo agere veſtiũtur : ea autẽ, quæ diximus,
„ interualla grãdibus in frõte ſaxis effarciũtur.
„ His collocatis & coagmentatis alius in ſuper
„ ordo adijcitur, vt idẽ illud intervallũ ſeruetur
„ neq; inter ſe cõtingãt trabes, ſed partibus in-
„ termiſſæ ſpatijs ſingulæ ſingulis ſaxis interie-
„ ctis arctè cõtineãtur : ſic deinceps omne opus
„ cõtexitur, dum iuſta muri altitudo expleatur:
„ hoc cùm in ſpeciẽ varietatẽq; opus deforme
„ nõ eſt,alternis trabibus ac ſaxis, quæ rectis li-

neis suos ordines seruāt: tum ad vtilitatem & defensionem vrbium summā habet oportunitatem: quod & ab incendio lapis, & ab ariete materia defendit: quæ perpetuis trabibus pedes quadragenos plerunque introrsus reuincta, neque perrumpi, neq; distrahi potest. Sic forma Virgiliani portus explicatur Æneid. 1,

Est in secessu longo locus: insula portum
Efficit obiectu laterum, quibus omnis ab alto
Frāgitur, inque sinus scindit sese vnda reductos.
Hinc atque hinc vastæ rupes, geminiq; minantur
In cælum scopuli, quorum sub vertice latè
Æquora tuta silent: tum syluis scena coruscis
Desuper, horrētique atrū nemus imminet vmbra
Fronte sub aduersa scopulis pendentibus antrum.
Intus aquæ dulces, viuóque sedilia saxo,
Nympharum domus: hic fessas non vincula naues
Vlla tenent: vnco non alligat ancora morsu.

DEVS hominem ad suam, id est, ad diuinam imagnē creauit, Hinc illa Pauli argumentatio.

Vir non debet velare caput, quum imago sit & gloria Dei: at mulier, gloria viri est. 1. Cor. 11. 7.

Ecquid inquit Euresus Pytagoræus homine prę̄stantius? quid diuinius? an non rerum opifex eum fecit seipso vsus exemplari? tabernaculum quidem est reliquis simile, vt quòd factum fuit ex terrena materia, à præstātissimo tamen effectum artifice, qui seipso vsus est archetypo.

Omnis angulus qui habet dimidium duorum rectorum est rectus:
Sed angulus A. B. est huiusmodi:
Ergo angulus A. B. est rectus.

Quod

Quòd rotundum est, in rotundam semper formam accrescit:
Luna autem est rotunda:
Ergo in rotundam semper formam crescit.

Phisicorum dogma est celeritatis & tarditatis, formã esse causam. Aristot.lib.4.cap.6.de Cælo.

Cognoscendæ sunt medico morborum ac herbarum formæ, & variæ pharmacorum atque excretorum permistiones. Nam pro formæ ac mistionis varietate, nunc hoc, nunc illud prænoscit medicus. Vomitus (inquit Hip.) ex pituita & bile permixtus minime est molestus: at meraciores vomitiones deteriores sunt. Prænot. Coacæ.

Interrogatio & responsio est actu continuo facta:
Ergo est stipulatio.
De precio venditor & emptor conueniunt:
Ergo emptio est perfecta.
Scyphus in massam redactus est: Ergo ad poculum amplius non est aptus.

CAP. VII.

De Fine.

Finis est caussa, cuius gratia res est. Physicis rebus finis homo propositus est: homini Deus. Omnium artium est aliquod summum bonum & finis extremus: vt Grammaticæ, bene loqui: Rhetoricæ, bene dicere: Logicæ, bene disserere. Iuno. 1. Æneid. connubij finem assumit, cùm Aeolo Deïopeiam pollicetur, solatij scilicet prolisque gratia.

Arist.11.cap. post. & 13.c. 2.Phisic.& 2. cap.2.Phisic. Plato.7.de Repub.

Arist.3.c.8. politic.

Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ
Quarum (quæ forma pulcherrima) Deïopeiam
Connubio iungam stabili, propriámque dicabo,

Omnes vt tecum meritis pro talibus, annos
Exigat, & pulchra faciat te prole parentem.

In defenſione Ligarij Cicero Tuberonem accuſatorẽ vrget, cum armorum contra Cæſarem ſuſceptorum finem premit. Et certè (ait) contra ipſum Cæſarem eſt congreſſus armatus. Quid enim Tubero tuus ille diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? quis ſenſus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas:

Finalis cauſa aduẽtus Chriſti. PROFECTI verò diſcite quid ſit, Miſericordiam volo, & non ſacrificium. non enim veni & vocarem iuſtos, ſed peccatores ad reſipiſcentiam.

Finis humanæ vitæ. Hic mea quidem ſententia, inquit Poſidonius, eſt rerum humanarum finis: contemplare vniuerſorum Deum, & ſe quoad eius fieri poteſt, ita inſtituere, vt nulla in re ducatur à parte animæ quæ caret ratione.

Quamobrem deambulamus? vt valeamus. Non fluctuare cibos in ſtomacho eſt vtile ad ſanitatem tuendã: id autem efficit deambulatio poſt cœnam: Deambulatio ergo poſt cœnam efficit vt valeamus.

Vinum bibim⁹ vt ſtomacho proſit & animos pariat.

Iuſiurandum ſi poſtulabitur, duabus de cauſis dabis, vel vt teipſum turpi crimine liberes: vel vt amicos è periculis eripias. Iſocrat. ad Demonic.

Finis vſucapionis. Ne rerum dominia in incerto ſint eſt bonum:

Vſucapio autem introducta eſt, ne rerum dominia in incerto fluctuent: Ergo vſucapio eſt res valdè bona.

Alicuius rebus perinde proſpicere ac ſuis, eſt valdè pium: Curator vt alienis rebus perinde ac ſuis proſpiciat, puberibus à magiſtratibus datur: Ergo curatorem pube-

puberum agere, valdè pium est.

Omnem autem legem, quæ quidem rectè lex appellari possit, esse laudabilem quibusdam talibus argumentis docent. *In quem finẽ sunt leges cōdita.*

Constat profectò ad salutem ciuium, ciuitatúmq; incolumitatem, vitámque hominum & quietam & beatã, inuentas esse leges: eósque qui primùm eiusmodi scita sanxerunt, populis ostendisse se ea scripturos atque laturos, quibus illi adscriptis susceptísq; homines honesti beatiq; viuerent.

Ex quo intelligi par est eos qui perniciosa & iniusta populis iussa descripserunt, quiduis potius tulisse quàm leges. Cicer. lib. 2. de leg.

Fœlicitates atque opes dat maximas
Fortuna multis, non quòd illos diligat
Sed de gradu præstantiore vt decidant.

CAP. VIII.

De effectis.

Effectum est quod è caussis existit, siue igitur gignatur, siue corrũpatur, siue modo quolibet moueatur quidlibet, hic motus & res motu facta effectum dicitur: huius loci sunt laudes & vituperationes, quarum pleni sunt libri sacri & profani. Æneid. 6. facta variorum populorum comparantur ad nominis Romani laudem: *Arist. in Phisicis sub nomine motus.*

Excudent alij spirantia mollius æra:
Credo equidem, ducẽt viuos de marmore vultus
Orabunt caussas melius, cœlique meatus
Describent radio, & surgentia sydera dicent.
Tu regere imperio populos Romane memento:

Hæ tibi erunt artes, paciq́; imponere morem:
Parcere subiectis, & debellare superbos.

Hoc argumento Christus docet se esse verum Messiam. Interrogatus enim, tu ne is es qui venturus erat, an alterum expectabimus? respondit in hunc modum: Profecti renuntiate Ioanni quæ auditis & videtis. Cæci visum recipiunt & claudi ambulant: leprosi mundãtur & surdi audiunt: mortui excitantur & pauperibus euangelizatur: & beatus est qui non fuerit offensus in me.

Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi: sin verò facio, etiamsi mihi nõ credatis, operibus credite: vt cognoscatis & credatis Patrem in me esse, & me in eo.

Vos ô ignaui primum nos docete quid est Deus, vt impij cùm dixeritis fidem meremini, vbi est Deus? an in templis inclusis? pij quidem vos qui Deum in tenebris erigitis. Si nulla Dei erigatur ara, non est Deus: & si non Dei erigatur, Deus est. quasi lapides deorũ essent testes.

Imò oportet opera illi testimonium ferre, quale est, sol: nox illi & dies sese in testimonium offerũt: tempora illi testes, terra tota fructum ferens illi testis, Lunę circulus illius opus cœleste testimonium. Hieraclitus Euthicli.

Quæ nullis radijs micant propius sunt à nobis:
Stellæ errantes nullis micant radijs:
Ergo stellæ errantes propius sunt à nobis.

Arist. Lib. 1. de Demonst. Cap. 10.

Huc pertinent demonstrationes quòd res sit, vbi non ex causa ostenditur effectus sed contra.

Omne quòd defrondescit latiora habet folia:
Omnis vitis defrondescit:
Ergo omnis vitis latiora habet folia.

Arist. Lib. 2. Demonst. Cap. 17.

HOC anno non fuit Lunæ defectus, ergo neque solis & Lunæ directa oppositio in capite vel cauda Draconis.

Hæc categoria est in maximo vsu apud medicos, non enim morbi causa est semper manifesta, sed ab effectis

quæ

quæ in pulſu, reſpiratione & corporis euacuationibus apparent ſæpe cognoſcitur.

Reſpiratio eſt iuſto frequentior & pulſus crebrior:
Amplior ergo in corpore eſt collectus calor.

Quid erat ciui Reip. ſtudioſo agendum? quid illi qui omni cura & alacritate, & integritate, patriæ couſultum vellet? non oportebat è mari Eubea munire Atticam? è mediterraneo Beotia? è Poleponeſo, locis noſtro agro finitimis? non prouidere vt inuectio frumenti per omnia loca nobis amica vſque ad Piræum perueniret? non ea quæ tenebamus, miſſis tueri prę ſidijs: eiuſque rebus quæ eo pertinerent, agendis & dicendis? Proconeſum, Cherſoneſum, Tenedum? non alia conari vt coniuncta & ſocia eſſent: Byzantium, Abidos, Eubæa? non hoſtibus maximas quas haberent copias eripere? non quę reipub. deeſſent ea ſupplere? Atque hæc quidem omnia vobis perfecta ſunt meis decretis & actionibus. Efficax eſt argumētatio ab effectis, ad cauſas affirmatiuè & negatiuè.

Huc dicta ſcriptáque referenda ſunt. Pericles & Hortenſius benè dicendi laude celebrantur: eodémque argumēto Demoſthenes & Cicero etiam bene ſcribendi. Ad hunc locum referuntur conſilia & deliberationes, etiam ſi omninò ad exitum perductæ nō fuerint. Parmenio & Philotas morte mulctati ſunt, quia cōiurationis in Alexandrum eſſent ſuſpecti: vt Curtius & Arrianus meminerunt. De Lentulo & Cethego alijſque Catilinę popularibus, Romani Senatus iudicio ſupplicium ſumptum eſt. Sunt etiam effecta virtutū & vitiorum. Horatius hoc modo ebrietatis effecta deſcribit.

Quid non ebrietas designat? operta recludit,
Spes iubet esse ratas, in prælia trudit inermen
Solicitis animis onus eximit, ac docet artes.
Fœcundi calices quem non fecere disertum?
Contracta quem non in paupertate solutum?

CAP. IX.

De subiecto.

Argumētum modo quodam consentaneum succedit, vt subiectum & adiūctum. Subiectum est cui aliquid adiungitur. Anima est subiectum scientiæ, ignorantiæ, virtutis, vitij, quia hæc præter essentiam accedunt. Corpus, sanitatis, morbi, roboris, infirmitatis, pulchritudinis, deformitatis: homo subiectum est diuitiarum, paupertatis, honoris, infamiæ, vestitus, comitatus. Locus, est subiectum rei locatæ. Sic Philosophi diuinis entibus licet parte & magnitudine carētibus attribuunt locum. Sic geometræ locum locique differentias in rebus geometricis: sic Physici multo etiam diligentius in rebus Physicis considerant, in mundo, in elementis simplicibus, in rebus compositis. Sic Virgilius in Georgicis suum quemque propositis rebus locum deligendum admonet, vt segetibus, arboribus, vitibus, pascuis:

Arist. in Substantia, Posterioribus analyticis.

Arist. lib. 4. Phisic. 14. capit.

Arist. 10. c. 8. Phis. & 3. c. 1. de cælo.

At prius ignotum ferro quam scindimus æquor.
Ventos & varium cæli prædiscere morem

Cura

Cura ſit, ac patrios cultúſque habitúſque locorũ:
Et quid quæq; ferat regio, & quid quæq; recuſet.
Hic ſegetes, illic veniunt felicius vuæ:
Arborei fœt⁹ alibi, atq; iniuſſa vireſcũt Gramina.

Senſilia ſenſuum, & res virtutibus ac vitijs propoſitæ, ſubiecta vitiorum & virtutum hoc modo nominantur: Color eſt ſubiectum viſus, ſonus ſubiectum auditus, quia hi ſenſus in his ſenſilibus occupãtur & exercentur. Virtutes & vitia declarantur in Ethicis hoc argumento: temperantia & intemperantia voluptate, magnanimitas & ignauia periculo: liberalitas & auaritia diuitijs. Sic res numerabilis Arithmeticæ, menſurabilis (vt ita dicã) Geometriæ ſubijcitur. Eiuſmodi ſubiecto Cic. 2. Agra. diſputat, inter Campanos nullam contentionem eſſe, quia nullus ſit honor. Non gloriæ cupiditate (ait) efferebãtur, propterea quòd vbi honos publicè non eſt, ibi cupiditas gloriæ eſſe non poteſt: non contentione nec ambitione diſcordes: nihil enim ſupererat, de quo certarent: nihil quod contrà peterent: nihil vbi diſſiderent: Eodem argumento à Propertio dictum eſt:

Nauita de ventis, de tauris narrat arator:
Enumerat miles vulnera, paſtor oues.

Fvgite ſcortationem. Omne peccatum quòd fecerit homo, extra corpus eſt: ſed qui ſcortatur, in proprium corpus peccat. An ignoratis corpus veſtrum eſſe templum ſpiritus ſancti, qui eſt in vobis, quem habetis *Corpus hominis ſubiectum ſpiritus Sancti.*

à Deo, neq; esse vestri iuris? 1. Cor. 6. 18.

Posito subiecto ponuntur adiuncta.

Deus est, igitur est arx, petra, asylum, refugium nostrum. Item Deus est, bonus ergo.

Quale subiectum tale adiunctum.

Ne mortale odium mortali in pectore serues.

Hoc argumento vrgebis eos qui animas mortuorum negant esse, & tamen verentur ne miseræ sint futuræ. Qui enim omninò non sunt, vt ait Cicero, ij ne miseri quidem esse possunt. Talis fuit Axiocus, ad quem Xenocrates Platonicus.

Sublato subiecto tollitur adiunctum.

Vt in Repub. Clistenis & Draconis, inquit, nihil tibi contigit mali, tu enim non eras, circa quem esset malũ, sic post mortem nullum tibi aduersum: tu namque non eris circa quem futurum sit malum.

Subiectum in Geometria est res ipsa de qua doctrina est instituta, cuiusmodi sunt trianguli, quadrata, circuli, sphæra, cylindri: & vt summatim dicam, figuræ planæ, corpora solida, denique omnes magnitudines immobiles, & horum termini: Quæ verò his insunt, adiuncta dicuntur, & per axiomata & petitiones rebus subiectis inesse demonstrantur.

Quod partes nullas habet, nec rectum est nec rotũdum: Et quicquid figuræ est particeps, aut rectum aut rotundum est: Quòd ergo partes non habet, nullius figuræ est particeps Alcynous ex Permenide Platonis.

Illud etiam absurdum est, aquam in superiori loco cogi, cùm nec aqua cogi possit, quàm existat, nec vllo tempore, nec certo loco manere. Arist. Metheor. Lib. 1. Cap. 12.

Quæuis pars affecta est affectionis subiectum, cuius cognitio est imprimis necessaria medico. Nam febris aliam quærit curationem, cùm est in spiritu, vt diaria: aliam cùm est in venis, vt continua: aliam cùm partes solidas inuadit, vt hæctica. Calor præter naturam in corde accensus, solidas partes inuasit: ergo hectica febre laborat. Animi affectiones & perturbationes, sua dicuntur habere subiecta in corpore, vt caret felle: non ergo irascitur.

ſcitur. Hulcera œdemata & id genus alia requirũt huius categoriæ peritum. Illud enim apud omnes conſtat, pro natura partis affectæ remedia eſſe adhibenda.

Si quis rem quæ in rerum natura non eſt, aut eſſe non poteſt, dari ſtipulatus fuerit: veluti Stichum, qui mortuus ſit, quem viuere credebat: aut hippocentaurum, qui eſſe non poſſit, inutilis erit ſtipulatio. Iuſt. lib. 3. tit. 10.

Si legatus eſt Titio annulus: ergo & gemma quæ annulo additur legata eſt. Si charta dono data eſt: Ergo & aureæ literæ quæ in charta depictæ ſunt.

A ſubiecto loco docet Apoſtolus Chriſtum eſſe ſuperiorem Dauide, præſtantiorem cunctis angelis, imò prorſus eſſe Deum, ac Deo patri per omnia equalem. Heb. 1. Ex dicto Dauidis Pſalmo. 110. Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis.

Titius promiſit Sempronio pecuniam dare certò loco: an non ergo veriſimilè eſt, quòd nullo alio loco, quàm ſtipulator voluit, illam pecuniam dare poſſit?

Subiecta ſæpenumero ſua habent certa adiũcta. Hinc Dauidi offerenti ſe ad ſingulare certamen ineundũ cùm Goliath Philiſtæo, obijcitur, quòd puer eſſet planè imbellis. Luc. 2. ſtupebant omnes ſuper intelligentia & reſponſis Chriſti in templo factis, cùm duodecim tãtum eſſet annorũ. Geneſ. 18. Poſtquàm iam vieta ſum (inquit Sara) indulgebo credo voluptati, cùm meus etiam dominus iam ſit ſenex? Hinc amplificatur ab Apoſtolo fides Abrahæ. Rom. 4. Quod non ſit infirmatus fide, licet ipſius corpus iam eſſet emortuum.

CAP. X.

De Adiuncto.

Adiunctum eſt, cui aliquid ſubijcitur: quod argumentum & ſi ſubiecto eſt leuius, attamẽ eſt copioſius & frequentius: Itaque quod de eiuſmodi ſignis ait Ouid. 2. de Remedio: *Ariſt. in Categorijs. Cicero in Topicis. Quintil. lib. 5. cap. 5.*

Forsitan hæc aliquis (nam sunt quoque) parua vocabit:
Sed quæ non prosunt singula, multa iuuant.

Animi corporisque & totius hominis bona & mala, quæ dicuntur, adiuncta sunt animi, corporis, hominis: Deniq; quicquid vlli subiecto extrinsecus accidit, adiunctum eius est: vt autem locus est in subiectis, sic tempus est in adiunctis, duratio nempè rerum, præterita præsens, futura: omninóque qualitates subiectis præter caussas adiūctæ siue propriæ sint, quæ omni soliq; subiecto semper conueniūt, vt homini risus, equo hinnitus, cani latratus: siue communes quæcunque non sunt eo modo propriæ. Hoc genere argumenti Fannium Chæream Cicero pro Roscio Comœdo cauillatur: Nónne ipsum caput & supercilia illa penitus abrasa, olere malitiam & clamitare calliditatem videntur? Nónne ab imis vnguibus vsque ad verticē summum (si quam coniecturā affert homini tacita corporis figura) ex fraude, fallacijs, mendacijs constare totus videtur? qui idcircò capite & supercilijs semper est rasis, ne pilum vllum viri boni habere dicatur: Sic Martialis 2.lib. Zoilū ludit,

Arist. in Phisic. 10. 11. 12. 13. 14. capiti. lib. 4.

Arist. cap. 4. 1. Top.

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine luscus,
Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

Sic vestitus & comitatus res adiunctę sunt: quo circunstantię genere Dido venatum proficis-

ficiſcens, magnificè 4. Æneid. depingitur.

Oceanum intereà ſurgens aurora reliquit.
It portis iubare exorto delecta iuuentus:
Retia rara, plagæ, lato venabula ferro:
Maſſylique ruunt equites, & odora canum vis:
Reginam thalamo cunctantem, ad limina primi
Pœnorum expectant, oſtróque inſignis & auro
Stat ſonipes, ac fræna ferox ſpumantia mandit.
Tandem progreditur magna ſtipante caterua
Sydoniam picto chlamydem circundata limbo,
Cui pharetra ex humero, crines nodãtur in aurũ:
Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem,

EX hoc omnes cognoſcent vos eſſe diſcipulos meos, ſi charitatem habueritis alij in alios. Iohã. 13. 35. Quum in vobis ſint liuor & contentio, & diſſidia: nónne carnales eſtis: & ſecundùm hominẽ inceditis? Etenim quum dicit quidam, Ego ſum Pauli: alter, Ego ſum Apollo, nónne carnales eſtis? 1. Cor. 3. 3.

Chriſtus habuit commercium cùm carne & ſanguine, tentationibus fuit obnoxius, per omnia ſimilis factus eſt noſtri, deguſtauit mortem: Ergo Chriſtus fuit verus homo.

Ex adiunctis alia rem præcedunt, alia vel ei annectũtur vel ſequuntur vt.

Si tibi docendum eſſet Iudam eſſe impium, atque vt Chriſtus vno verbo ait Io. 6. diabolum, id docebis primò ſignis antecedentibus, tum ex adiũctis negotio proditionis, tum ex ſequentibus, euangeliſtarum more. Antecedentia ſunt. Inuidit Chriſto honorem delatum à Maria, quæ vnguento precioſo vnxerat Chriſti pedes. Hypocrita erat, fingens ſibi curæ eſſe pauperes: denique erat auarus, habens marſupium: & fur id eſt, malæ adminiſtrationis reus: Io. 12. Chriſtus inſuper aliquoties

apertè significauit Apostolis, vnum ex ipsis fore proditorem:neque impius vnquàm est his permotus.Mat.26. Luc.22.Io.6.13. Porrò vltra adit pontifices, ac de præcio proditionis paciscitur.Math.26.Lu.22. Ad hæc captat cōsilia quomodo opportunè & sine turbis destinatū facinus perpetret. Luc.22. Post hæc omnia, interest extremæ cœnæ, quo omnem de se suspitionem aboleat.

Christus iterum verba facit de quodam qui ipsum sit proditurus,& signo addito de porrecta buccella intincta certiores omnes facit: quin etiam iterum admonet Iudam, vt quòd semel constituerat ocius perficiat. Verùm hæc omnia obturato præstat ille animo,ceu nullius mali sibi conscius.Io.13.

Iam in negotio ipso adiuncta talia sunt: relinquit Iudas cœnam & egreditur cohortes armatos petiturus, Io.13. His acceptis noctu hortum adit, ad quem sciebat Iesum precandi causa venire solitum Ioh. 18. Militibus signum dat,ne errent in persona: quem osculatus fuero inquit,ipse est. Math.26. Christus autem spōtè occurrit: interrogat quem armati petant: osculum non recusat: placidè & blandè alloquitur:amice,inquit, ad quid ades? atque nihil horum ferit proditoris conscientiam, quo minus destinatum scelus exequatur. Mat.26.Io.18.

Nunc de consequentibus: Tandem pœnitet Iudam, palam in templo reddit pecuniam,peccatum suum confitetur,& Christi innocentiæ testimonium ipse dicit, vehementissimè perturbatus abijt foras, laqueo se suspendit,crepuit medius,effusa sunt omnia eius viscera. Math. 27.Act. 1.

Antiphanes Comicus meretricem egregiè ab adiunctis depingit. Venit ipsa,inquit,transit,accedit,non transit,venit,adest,abest,erigitur,accedit, smegmate saponéue purgatur,pectitur,egerit,tergitur,lauatur, se contemplatur,componitur, vnguentis perfunditur, ornatur, vngitur,& si quid non habet enecatur.

De subiectis geometricis prius diximus:illis verò per-

se

ſe inſunt diuiſiones, conſtitutiones, contractus, applicationes, exceſſus, defectus, æqualitas & inæqualitas: cùm alijs quibuſdam huius generis quæ omnia ad hanc categoriam referuntur.

Si rectum eſt, aut rotundum, figura participat:
Quòd partes habet eſt rectum aut rotundum:
Ergo quòd partes habet, figura participat.

Poſito adiuncto, ponitur ſubiectum.

Huc pertinent Phiſicorum prognoſtica, de ventis & pluuijs: & augurum cæterorúmque diuinationes.

Cicero lib. primò de Diuinat.
Hic Iouis altiſoni, ſubitò pennata ſatelles
Arboris è trunco, ſerpentis ſaucio morſu
Ipſa feris ſubigit transfigens vnguibus anguem
Semanimum, & varia grauiter ceruice micantem.
Quem ſe torquentem lanitus, roſtróque cruentens,
Iam ſatiata animos & duros vlta dolores,
Abijcit efflantem, & laceratum affligit in vnda.
Séque obitu à ſolis nitidos conuertit ad ortus,
Hanc vbi præpetibus pennis lapſúque volantem
Conſpexit Marius, diuini numinis augur:
Fauſtáque ſigna ſua laudis reditúſque notauit.
Partibus intonuit cœli pater ipſe ſiniſtris:
Sic Aquilæ clarum firmauit Iupiter omen.
Et ſecundo Faſtorum:
Fallimur? an veris prænuntia venit hirundo.

Diuinatio auguris ab adiuncto.

Nam vt illa omittam (ait Orator) Viſas nocturno tempore ab occidente faces, ardorémque cœli vt fulminum iactus, vt terræ motus, cæteráque quæ ita multa nobis conſulibus facta ſunt, vt hæc quæ nunc fiunt, cauere Dij mortales viderentur. Cicero. 3. Cat.

Non prædicabant? non ſignificabant nobis dij vt caueremus, tantum non humanis vocibus editis? Equidem nullam vnquam vrbem vidi quæ magis à dijs immortalibus conſeruaretur, & à quibuſdam oratoribus perderetur. Non ſatis monere potuit portentum illud, quòd initijs Cereris extitit, vt caueremus, cùm initiati interierunt? Non ea de cauſa cauendum eſſe monuit Amyniades, & Delphos mittendos aliquos, qui oraculum ſciſcitarentur? Sed Demoſthenes refragabat, quod Pythiam

Aruſpicũ diuinatio ab adiunctis.

Philippo ſtudere diceret, homo ineruditus, & fruens ac repletus ea licentia, quæ à vobis ei datur. Nònne is nuper, ſacris ominoſis & infauſtis milites oblegauit ad manifeſtum diſcrimen: quamuis dudum dicere auſus, ea de cauſa Philippum, in noſtram regionem nõ veniſſe, quod victimæ proſperæ non fuiſſent? Quo igitur dignus es ſupplicio ô Græciæ peſtis? Nam ſi victor propterea in eorum quos vicerat regionem non venit, quod ſacra infauſta eſſent: cur tu qui neſcires quid futurum, antequam litatum eſſet, milites ablegaſti? Vtrũ igitur corona dignus es ob calamitates publicas an exilio? Æſchines aduerſus Cteſiphontem.

Si motus ſimplex (adiunctum) eſt, neceſſe eſt quoque corpus eſſe (ſubiectum.)

Quod ſi motus ſimplex in rerum natura eſt, ſimplex autẽ is eſt, qui in orbem incitatur, & motus ſimplex ſimplicis ſit corporis, corpus aliquod ſimplex ſit neceſſe eſt, quod ſuapte natura eo motu qui circa medium fertur cieatur. Ariſt. lib. 1. de Cœlo. cap. 2.

Prænotio ab Adiunctis.

Huc referuntur medicorum prædictiones, & iudicationes. Faciei corruptio lethalis, talis autem fuerit, oculi cani, naſus acutus, tempora collapſa, aures frigidæ ac contractæ, cutis dura, color pallidus aut niger. Hip. in prænot.

Iudicatio ab adiunctis.

Vrina autem optima eſt, quæ habet albiſſimam ſubſidentiam, & leuem ac æqualem, per totum tempus donec iudicatus fuerit morbus. Significat enim ſecurum & breuem fore morbum. Hip. in Iud.

Si ea mulier teſtamentum fecit, quæ ſe capite nunquam diminuit, non videtur ex edicto prætoris ſecũdum eas tabulas poſſeſſio dari: adiungitur enim vt ſecundum ſeruorum, ſecundum exulum, ſecũdum puerorum, tabulas poſſeſſio videatur ex edicto dari. Cicero in Top.

Res ſacra eſt: ergo non recipit eſtimationem.

Titius Sempronium vulnerauit.

Nam Titius ædes Sempronij ingreſſus, gladio cruento viſus eſt.

Ab adiuncto temporis.

Paulus Rom. 4. ab adiuncto temporis probat Abrahamum

hamum iustificatum fide absque operibus. vt. Ista igitur beatitatis prædicatio, in circuncisionem solùm an & in præputium cadit? Dicimus enim imputatam fuisse Abrahæ fidem pro iustitia, quomodo ergo imputata est? Cùm esset in circuncisione, an quum esset in præputio? non in circuncisione sed in præputio.

Si non ante tertiam horã, pecuniam sum pollicitus, quid iam me vrges ante tempus?

Notet lector hoc Topicũ aliquando verisimilia tantum signa supplere, quæ licet vim aliquam habere videantur, tamen non semper necessario inferunt. *Signa verisimilia.*

Ioseph fugiens reliquit vestem apud vxorẽ Putipharis vociferantem: igitur voluit hanc per vim stuprare. non valet argumentum.

HVIVS, Topici sunt promissio diuina, comminatio diuina, prædictio seu vaticinium propheticum misterium, typus & allegoria: quæ quidem omnia sunt veluti adiuncta præcedentia, quæ res nõnullas necessariò subsequi ostendunt.

Petrus Act. 2. comprobat Apostolos collegas suos non esse ebrios, vt maleuoli suspicabantur: sed potius afflatos spiritu diuino, ac nouo linguarũ dono ornatos. Ita nãq; Deũ ipsum promisisse per Ioelem Proph. c. 2. Et erit post hæc: inquit, effundam Spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ: senes vestri somnia somniabunt, iuuenes vestri visiones videbunt: quin & super seruos & super ancillas in diebus illis effundam spiritum meum. Dabóque prodigia in cœlo & in terra, & sanguinem & ignem, & columnas fumi, & erit prætereà, quicunque inuocauerit nomen Domini, euadet. *Promissio diuina.*

Iere. 29. Psal. 17. 145. promisit Deus laturum se opem pijs ipsum in necessitate inuocãtibus. Igitur Deus haud dubiè præstabit, atque pios eripiet è periculis. Rursus Deus non promisit se adiuturum impios: igitur nequaquam liberabuntur. Iere. 11. Iob. 9. *Affirmatiuè.* *Negatiuè.*

Comminatio diuina. Rom. 10. Astruit apostolus tempus adesse quo Iudæi reijci atque excludi ab ecclesia Dei, gentiles autem vocari, & Iudæorum loco substitui debeant. Confirmat istud proposita comminatione Dei aduersus Iudæos olim pronuntiata. Deut. 32. Ego ad æmulationem prouocabo vos per gentem quæ non est gens, per gentem stultam commouebo vos.

Vaticinium Propheticũ. Matthæus cap. 1. postquã exposuisset quomodo Maria grauida fuisset deprehensa à spiritu sancto sine viri opera, & Angelum significasse Iosepho, quod paritura esset filium populi seruatorem, addit: totum hoc factum est, vt perficeretur quod dictum fuerat per Prophetam (Esaiam cap. 7.) ita loquentem: Ecce virgo erit prægnás & pariet filium, & vocabũt nomen eius Emanuel, quod si quis interpretetur, sonat nobiscum Deus. Pondus verò inest hisce probationibus maximum, vt ex his locis satis apparet Ephes. 2. 3. Heb. 1. 2. Pet. 1. Act. 3. 10. Hinc illa formula crebro in No. Test. repetita: hoc factum est vt impleretur quòd dictum est &c. Et Christus Math. 26. Luc. 24. ait impleri oportere scripturas, & fieri quæ prædicta fuerunt.

Typus. Quando autem probationes sic instituuntur, vt dicatur meritò aliquid hoc tempore accidere, vel debere fieri, quandoquidem olim facta ea præcesserunt, quæ presens negotium quodamodo prætenderunt, magna istud fit cum gratia, ac dici non potest quantopere illustrentur conciones seu disputationes istiusmodi argumentis.

Christus asserit Io. 3. se esse verum Deum, Dei filium, mortem nihilominus debere pro generis humani salute perferre: Comparabat illud adducto Typo ex Num. 21. dicens: Sicut Moyses exaltauit serpentem, in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in eum, nõ periat, sed habeat vitam æternam. Talis est argumentatio Io. 19. Mat. 12. 1. Pet. 3. 1. Cor. 10.

Affirmatiuè. Moyses exaltauit serpentem aeneum, quem qui intuebantur manebant incolumes. Num. 21.

Igitur

Igitur & Christum oportuit exaltari in crucē vt quicunque fidem in ipsum defixerit, adipiscatur salutem.

Os non debuit confringi agno pascali: *Negat.*
Ergo neque Christo confringentur crura.

Vt in typo actio similem portendit actionem: *Allegoria.*
Ita in allegoria verba certam rem significant.

Omnis victima sale salietur: Leu.2. *Affirmat.*
Igitur & homo Domino addictus sale condietur. Marc.9. Colos.4

Non obligabis os boui trituranti. Deut.25. *Negat.*
Ergo non est ministris verbi denegandus victus. 1. Cor. 9.

1. Timoth. 5. de hoc argumenti genere, vide Luc. 10. ex 2. Reg. 4.

Per mysterium actionem intelligimus externam & corpoream, siue ceremoniam diuinitus institutam, quæ rem quandam internam & spiritualem denotat. *Mysterium.*

Titus sacro baptismate tinctus est: *Affirmat.*
Ergo debet nouam & sanctam vitam viuere.

Titus non est circuncisus: *Negat.*
Igitur non est obstrictus ad legis obseruantiam.

Sed in his omnibus notet lector imprimis cauendum esse, ne quis suo cerebro aliquid tribuat, sed soli Scripturæ adhereat, videatq; vt allegoriæ, typi, mysteria & quæ huius generis sunt decenter rebus applicentur.

Est verò adiunctorum ad subiecta, quibus occupantur, vsus item magnus. Hoc argumēto Plato miseras ciuitates auguratur, quę medicorum & iudicum multitudine indigeant, quia multam quoq; & intemperantiam & iniustitiam in ea ciuitate versari necesse sit.

Sed consentaneorum categoria sic est, vnde quiduis alteri consentaneum, vel idem vel vnum dici possit: omnesq; modi vnitatis, & vt ita dicam, identitatis huc sunt tanquam ad primos & simplices fontes referendi.

CAP. XI.

De Diuersis.

Arist.1 cap. lib.5.Top.

Argumentum primum consentaneum expositum est, Dissentaneum sequitur, quòd á re dissentit: sunt autem dissentanea inter se æque manifesta, alterumq; ab altero æqualiter arguitur: tametsi sua dissensione clariùs elucescant. Dissentanea sunt diuersa vel opposita. Diuersa sunt dissentanea, quæ sola ratione dissentiunt. Quo de genere sunt illa frequentissima. Non hoc, Sed illud. Quamquam, Tamen. pro Pompeio, Non victoriā, sed insignia victoriæ reportarunt. Ouid. 2. de Arte,

Arist.3. Rhet. cap.2. & 17.

Non formosus erat, sed erat facundus Vlysses.

2. Æneid. *Hic Priamus (quamquam in media iam morte tenetur)*
Non tamen abstinuit.

Paulo secus in Eunucho,

Nam si ego digna hac contumelia
Sū maximé, at tu indignus qui faceres tamen.

Item illa aliusmodi. Pro Lig. Scelus tu illud vocas Tubero? cur? isto enim nomine illa adhuc caussa caruit. Alij enim errorem appellant, alij timorem, qui duriús, spem, cupiditatem, odium, pertinaciā, qui grauissimè temeritatem: scelus præter te adhuc nemo.

Aliud premi aliud opprimi &c.

In omnibus præmimur, inquit Apostolus, sed non opprimimur: Æstuamus, sed non exæstuamus: Vexamur, sed non deserimur: Deijcimur, sed non perimus. 2. Cor. 4. 8.

2. Cor. 4. 8. Ecclesia de se ipsa: Nigra sum, inquit, sed decora filia Ierusalem. Cant. 1.

Dissentaneorum Categoria refutationi maximè inseruit. Cùm itaque nulla sit ars, quæ non aliquando in refutatione versetur immensum huius Topici vsum esse manifestum est. In scola etiam mathematica quæ multò seuerioris Logicæ sibi leges imposuit, demonstrationes per impossibile ex dissentanearũ Topicis deductæ sunt.

Luna hæc inferiora suo illustrat lumine, & tamẽ ipsa suum lumen à sole accipit.

Torpefactoriç exsolutiones difficiles quidem ex partibus contingunt, & mentem emouentes, non tamen perniciosæ, Hip. Coacæ prænot.

Non si vxori vir legauit omne argentum quod suum esset, idcircò quæ in nominibus fuerunt, legata sunt. Multum enim differt in arca ne positum argentum, an in tabulis debeatur.

In Alcmeone Theodectis cum Alphesibea rogaret: quis non tuæ scelus parentis oderat?
Respondet:

Dignam mori illam censuerunt, non tamen
A me necandam.

Mihi quidem contigit Æschyne, dum fui puer, conuenientia discendi loca frequentare, & ea habere, quæ opus sunt homini turpè nihil facturo propter inopiam: Egresso è pueris, his consentanea agere, ædilitia munera obire, triremes instruere, tributa conferre, nulla vel priuata in re vel publica, meam liberalitatem requiri sinere, sed & amicos & Remp. iuuare. Postquã ad Remp. accessi, ea instituta sequi mihi visum est, vt & à Patria & cæteris Græcis sæpe sim corona donatus, & vt ne vos inimici quidem, non præclara esse quæ agenda suscepi, dicere agrederemini. Talis igitur fortuna mea fuit: Tu verò cum hac eam fortunam confer qua tu es vsus. Puer in magna ægestate es educatus, vna cum patre ad ludum literarium sessitans, atramentum terens, & subsellia spó-

gijs detergens, & pædagogium verrens, famuli vicem nõ ingenui pueri obiens. Vir factus matri initianti libros lectitasti, & in cæteris rebus ad imposturã adiutasti, &c. Postquam autem in municipij album inscriptus esses, statim pulcherrimum tibi munus delegisti, vt dicta scriberes, & in conuenticulis operam locares, &c. Eam denique gerendæ Reip. rationem delegisti, qua florentè patria, leporis vitam degeres, & perterritus ac tremens, & semper verbera expectans propter scelerum conscientiã. Cõfer, igitur, inter se tuam & meam vitam leuiter & nõ acerbè Æschyne. Docuisti literas? ego didici. Initiasti? ego initiatus sum. Saltasti? ego sumptus præbui. Dictata scripsisti? ego conciones habui. Tertias actitasti partes? ego spectaui. Excidisti? ego explodi. Pro hostibus egisti omnia? ego pro patria. cætera omitto. Demosth. pro Corona.

CAP. XII.

De Disparatis.

Arist. cap. de Oppositis, & 10. c. lib. 5. de Philosoph.

Opposita sunt dissentanea, quæ ratione & re dissentiunt: itaque eidem attribui, secundum idem, & ad idem & eodẽ tempore non possunt. Sic Socrates albus & ater non potest eadem parte esse: pater & filius eiusdem: sanus & æger eodem tempore: At albus esse potest alia parte, & ater alia: pater huius, filius illius: sanus hodie, cras æger. Itaque ex altero affirmato alterum negatur. Opposita sunt disparata, aut contraria: disparata sunt opposita, quorum vnum multis pariter opponitur, vt viride, cineraceum, rubrum, media sunt inter album & nigrum, quæ singula extremis, & inter se disparata sunt.

Arist. 2. Rheto. cap. 8.

Sic

Sic Deus, Angeli, Archangeli, Cherubin, Potestates, Throni, & vniuersus cælestis cætus inter se disparantur: Sic triangulus, quadrangulus cæteræque figuræ: Binarius Ternarius cæterique numeri: Sic morbi, litargia, Epilepsia: Sic res, persona, actio.

Sic liberalitas & auaritia inter se disparantur. Sic homo, arbor, lapis, & eiusmodi res infinitæ disparãtur, nec eadem res potest esse homo, arbor, lapis. Virgil, 1. Æneid. hoc argumento disputat.

O quã te memorem virgo? namq; haud tibi vultus
Mortalis: nec vox hominem sonat: O dea certè?

Pavlvs Apostolus edoctus est, atque ad Apostolicam euectus dignitatem à Deo ipso: Igitur non est edoctus & Apostolus designatus à Petro vel Iacobo vel quouis alio homine. Hoc pluribus explicatur 1. ad Galatas.

Redempti estis à vana vestra conuersatione, quam à Patrum traditione accepistis, prætioso sanguine Christi: Igitur non auro, non argento, vel alijs caducis rebus. 1. Petr. 1.

Affligitur aliquis vt Christianus: Igitur non vt homicida aut fur, aut facinorosus, aut curiosus alienarum rerum. ibidem. & cap. 4.

Hæc est seruitus aquæ ducendæ: ergo non est seruitus aquæ hauriendæ.

CAP. XIII.

De Relatis.

Contraria sunt opposita, quorum vnum vni tantùm opponitur: suntque affirmantia, aut negantia. Affirmantia, quorum vtrúmque *Arist. in categoria de relatis. Cicero in Topicis.*

affirmat, vt relata & aduersa : Relata sunt cõtraria affirmantia, quorum alterum constat è mutua alterius affectione: atque inde nominata sunt relata : vt pater qui filium habet, & filius qui patrem habet: & ob hanc mutuam relationis caussam, relata dicuntur simul esse natura, vt qui alterum perfectè norit, norit & reliquum. Pro Marc. Ex quo profectò intelligis, quanta in dato beneficio, sit laus, cum in accepto tanta sit gloria. Martialis in Sosibianum lib. 1.

Tum seruum scis te genitum, blandéque fateris,
Cùm dicis dominum, Sosibiane, patrem.

FILIVS Patrem, & dominum seruus debet honorare. Quòd si ego Pater, vbi est meus honor? Si ego Dominus, vbi est mei metus? Inquit armipotens Iehouah vobis, sacerdotes, mei nominis contemptoribus. Malach. cap. 1. 6. Hic continetur tacita relatio. Si me agnoscitis Patrem, debebatis vos gerere vt decet filios : Si agnoscitis dominum, quin moré geritis vt fideles serui?

Sic apud Quintilianum lib. 5. cap. 10. Si portorium Rhodijs locare honestum est, & Hermacreonti conducere. Quomodo & in oratore perfecto Tullius. Num igitur est periculum (ait) ne quis putet in magna arte, & gloriosa turpè esse docere alios id, quod ipsi fuerit honestum discere? Studium verò quoddam suũ Cicero è relatis illis in oratore prodidit. iam illa (inquit) matura, vxor generi: nouerca filij, filiæ pellex. Quòd idem in fer-

reæ

reæ ætatis deſcriptione Ouidius apertius affe-ctauit. 1. Metamor.

-- Non hoſpes ab hoſpite tutus,
Nō ſocer à genero, fratrū quoque gratia rara eſt.
Imminet exitio vir coniugis, illa mariti:
Lurida terribiles miſcent aconita nouercæ:
Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Atqui argumentum talis relationis contrarium nihil habet, imò arguit mutuas cauſſas: vt ſum tuus pater: tu es igitur meus filius: at cùm dico ſum tuus pater, non igitur ſum tuus filius, tum contraria verè ſunt.

A natura relatiuorum Chriſtus redarguens aduerſarios Phariſæos. Math. 22. probat ſe multo excellētiorem Dauide, imo & eſſe Deum. Interrogabat Phariſæos: Quid vobis videtur de Chriſto? cuius filius eſt? Dicunt ei, Dauidis. Ait illis: Quomodo ergo in ſpiritu vocat ipſum Dominum? dicens: Dixit Dominus Domino meo &c. Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius eſt? Athanaſius hoc ſumpto argumento æternitatem filij Dei concludit: Ab omni æternitate fuit pater: Ergo ab omni æternitate habuit filium.

Si nulla cœli pars ſit dextrorſum, nulla erit ſiniſtrorſum: & ſi nulla antè, nulla erit ponè. Si nulla ſurſum, nulla erit deorſum. Ariſt. de Cœlo. *Sublato vno relatorum, tollitur alterum.*

Si tibi non ſum vxor, non eris tu mihi maritus: Si Titius Daui Dominus eſt, non poteſt eſſe ſeruus eiuſdem: Si qui damnum accepit honeſtè & iuſtè mulctatus eſt: ita etiam qui damnum illud dedit. Et contra. Si qui damnum dedit, honeſtè & iuſtè fecit: ita etiam qui paſſus eſt. Ariſtot. Rhet. Lib. 2. Cap. 22. *Relata non cōueniūt vni.*

Poſito vno relatorum ponitur alterum: Si Abraham pater eſt multarum gentium, igitur aliqui ex gentibus

ſunt eius filij. Rom. 4.

Sempronius eſt conductor domus, ergo aliquem locatorem eſſe neceſſe eſt.

Et vno ſublato tollitur alterum: Abraham non eſt pater gentilium, (ex falſa Iudæorum opinione Io. 8.)

Igitur Gentiles non ſunt illius filij.

Teſtator non eſt: ergo hæredes non inſtituuntur.

CAP. XIIII.

De Aduerſis.

Cicero in Topicis: Ariſt. in Categorijs & Topicis.

Aduerſa ſunt contraria affirmantia, quę inter ſe velut è regione perpetuò aduerſantur, Æneid. 11.

Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes.

Sic Deus & Mammom vel Satanas & Beelzebub: Angelus ſiue ſpiritus bonus & angelus ſiue ſpiritus malus: Iuſtitia legis & iuſtitia fidei: Spiritus & caro: Benedictio & maledictio: Fides & incredulitas: Electio & rebrobatio: ſic albor & nigror, calidũ & frigidum, virtus & vitium opponuntur. Parad. 1. contra Epicureos. Illud tamen arctè tenent, accuratéque defendunt, voluptatem eſſe ſummum bonum: quæ quidem mihi vox pecudum videtur, non hominum. Tu cum tibi ſiue deus, ſiue mater, vt ita dicam, rerum omnium natura dederit animum, quo nihil eſt præſtantius, neque diuinius, ſic te ipſe abijcies ac proſternes, vt nihil inter te atque inter quadrupedem intereſſe putes? Pecudem & hominem aduerſa Cicero oppoſuit: voluptas, pecudis

cudis bonum eſt, non igitur hominis. Sic libertas & ſeruitus, apud Tibullum 2. lib.

Sic mihi ſeruitium video dominamq́; paratam,
Tu mihi libertas illa paterna vale.

Pro Marc. Nunquam enim temeritas cum ſapientia commiſcetur, nec ad conſilium caſus admittitur.

Chriſtus eijcit dæmonia præſidio, digito ſeu virtute Dei: Igitur nō eijcit dęmonia virtute Beelzebub. Mar. 11. Si vites malum, igitur facies bonū. Pſal. 34. Spiritu ambulate, & concupiſcentiam carnis non facietis. Luc. 16. *Negatiuè.*

Nemo ſeruus poteſt duobus Dominis inſeruire, aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vni adherebit, & alterum contemnet. Non poteſt Deo ſeruire & Mammonę. Vbi vides repugnātia Deum & Mammona: Diligere & odio habere: adherere & contemnere.

Iuſtitia legis nō iuſtificat: igitur iuſtitia fidei iuſtificat. *Affirmatiuè.*

Quod inflexo motu per lineam rectam cietur, motibus feratur contrarijs neceſſe eſt. Nam & motus is qui in locum ſupremum fert ei qui in locum infimum: & is qui antè, ei qui ponè: & qui ſiniſtrorſum, ei qui dextrorſum repugnat, eſtque cōtrarius: quippe cùm hæ ſint loci diſcrepantiæ. Ariſt. Lib. 8. Phiſ. Cap. 8.

Curationes medicorum hinc potiſſimùm auxiliū habent. Si enim calidum eſt aut frigidum, aut ſiccum, aut humidum, quod hominem lædit, oportet peritum medicum id contrario ſoluere ac liberare: Frigidum, calido: Calidum frigido: Humidum, ſicco: Siccum, humido, Hip. de veteri medicina.

Non debet ea mulier cui vir bonorum ſuorum vſum fructum legauit, cellis vinarijs & olearijs plenis reiectis, putare id ad ſe pertinere. Vſus enim non abuſus legatus eſt. Cic. in Topicis. *Vſus abuſus.*

Ille eſt contractus bone fidei: ergo nō poteſt eſſe cō-

tractus stricti iuris: Si institutoria rectè actum est: tributoria ipso iure locum non habet.

Si furti actione experiri voles:mãdati agere nõ poteris.

Prima lex apertè iubet, si quis aliquem occiderit Senatum iudicare: iste si quis occiderit statim scripsit abducere licere. Hoc custodite & memineritis, nihil posse iudicio fieri contrarium magis, quam sine iudicio proscriptionem.

Non sinit secũda lex, etiam damnatum cædis, excarnificari aut mulctari pecunia: At iste dum eum abduci permittit, hæc omnia concessit. Abducere iubet lex ad Sexuiros,idq;,si quis homicidam in interfecti patria deprehenderit: iste ipsi accusatori dat abducendi potestatem in suas ædes, etiamsi in aliena terra deprehenderit. Iste eum proscribit, quem leges indemnem & insontem dimittunt. Ius primum postulare,lex iubet: Iste contrà nullum iudicium,nec ipse designauit, neq; à quibus pœnas exigit,petijt: sed statim scripsit,eum abducere licere. Non sinit lex aliquã legem,nisi eadem pariter ad omnes pertineat,promulgare: Iste ob vnum virũ peculiare decretum scribit. Non sinit lex decretum,lege plus valere: Iste quum tot sint leges, decretum ratum facit,leges tollit. Demost.contra Aristocratem.

Si stultitiam fugimus, sapiẽtiam sequamur: & bonitatem,si malitiam. Cicer.in Topicis.

Ego quis sum? æquum me comemque prebeo erga omnes: Sum misericors,benificus in multos: Alter iste, quis? Violentus,qui tum nemini miseretur, tum neminem hominem esse putat. Demost.contra Midiam.

Eam quam nihil accusas,damnas: bene quam meritã esse autumas,dicis male mereri:id quod scis,prodest:nihil id quod nescis,obest.Cicer.

CAP. XV.

De Contradicentibus.

Arist.3.cap. Contraria negantia sunt, quorum alterum ait,

ait, alterum negat idem: eáque ſunt contradicentia, aut priuantia. Contradicentia ſunt contraria negantia, quorum alterum negat vbique: vt iuſtus non iuſtus, animal non animal, eſt non eſt, ſunt contradicentia. Sic in defenſione Muranæ contradicitur ſententijs Catonis & Ciceronis, illius Stoici, huius Academici. Dialogus eſt his verbis, Nihil ignoueris: imo aliquid, non omnia. Nihil gratiæ cauſſa feceris: imo ne reſiſtito gratiæ, cùm officiũ & fides poſtulabit. Miſericordia commotus ne ſis: etiam in diſſoluenda ſe veritate, ſed tamen eſt aliqua laus humanitatis. In ſententia permaneto: enimuerò niſi ſententia alia vicerit melior. Martialis, lib. 1.

lib. 2. Top. & 2 cap. Poſteriorum.

Bella es, nouimus: & puella, verum eſt:
Et diues, quis enim poteſt negare?
Sed dum te nimium, Fabulla, laudas,
Nec diues, neque bella, nec puella es.

Cicero 1. Tuſc. cogit hoc argumento Atticum Epicureum fateri mortuos miſeros non eſſe, ſi omninò nulli ſint, vt Epicurei credebant. Iam mallem (ait) Cerberum metueres, quàm iſta tam inconſideratè diceres. Atticus. Quid tãdem? Marcus. Quem eſſe negas, eundẽ eſſe dicis: Vbi eſt acumen tuum? cùm enim miſerum eſſe dicis, tum qui non ſit, eſſe dicis. Tum poſt lõgam diſputationem Atticus ait, Age, iam cõcedo nõ eſſe miſeros, qui mortui ſunt: quoniã extorſiſti, vt faterer, qui omninò

nõ essent, eos ne miseros quidem esse. Sic Terẽtianus Phædria Dori Eunuchi dictũ eleuat, quod affirmasset priùs, quæ post inficiaretur:

Modò ait, modò negat.

VOCABO populum qui meus non erat, populum meum: & eam quæ dilecta non erat, dilectam, & erit, in loco vbi dictum fuerat eis, non populus meus vos, illic vocabuntur filij viuentis Dei. Rom. 9. 25.

Profecti in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ: qui crediderit & baptizatus fuerit, seruabitur: qui verò non crediderit, condemnabitur, Marc. 16. 15. Sic Ioan. 3.

Chrisippus sibijpsi aduersari, ac pugnãtia inter se dicere non aduertit: cuius in oratione de voce, tum vbi interdũ negat vllum sensum nos sedis illius in qua principalis animæ pars consistit habere, interdum ait. Gal. de dog. Plat. & Hip. lib. 2.

Si contractum est matrimonium: Ergo non contractum esse dicere non potest. Si verum est Titium esse reum criminis lesæ maiestatis: Igitur falsum erit Titium non esse reum criminis lesæ maiestatis.

Nónne indignum facinus est, Athenienses, ac potius impium asserere homicidam, esse eundem: ac rursus id se non dixisse, eiurare? cui cædem obiecerit, cum illo sub eodem versari tecto? Demosth. contra Midiam.

CAP. XVI.

De Priuantibus.

Arist. in Philosoph. cap. 4. lib. 10. & 22. cap. lib. 5.

Priuantia sunt contraria negãtia, quorum alterum negat in eo tantum subiecto, in quo affirmatum suapte natura inest. Atque hîc affirmatum dicitur habitus, negatum autẽ priuatio. Sic motus & quies. Sic ebrius & sobrius.

brius.

brius. Martial. lib. 3.

Ebrius es: nec enim faceres hæc ſobrius vnquam.

Sic cæcum eſſe & videre. Pro Cælio, Exiſtat igitur ex hac familia aliquis, ac potiſſimùm cæcus ille, minimum enim dolorē capiet, qui iſtam non videbit. Sic pauper & diues opponuntur apud Martialem lib. 5.

Semper eris pauper, ſi pauper es, Æmiliane:
Dantur opes nullis nunc, niſi diuitibus.

Talia ſunt mors & vita in Miloniana, Huius mortis ſedetis vltores, cuius vitam, ſi putetis per vos reſtitui poſſe, nolitis? Item tacere & loqui. 1. Catil. Quid expectas authoritatem loquentium, quorum voluntatem tacitorum perſpicis? Pro Marc. Doleo cum reſp. immortalis eſſe debeat, eam in vnius mortalis anima conſiſtere. Sed diſſentaneorum categoria ſic eſt, vnde quiduis ab altero differre quolibet modo poſſit.

NE impari iugo copulemini cum infidelibus, quod enim conſortium iuſtitiæ cum iniuſtitia? & quæ communio lucis cum tenebris? Et quæ concordia Chriſto cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Et quæ cōſenſio Dei cū ſimulachris? nam vos templum eſtis Dei viuentis, ſicut dixit Deus: Habitabo in ijs, &c. Quapropter exite è medio eorum & ſeparamini. Vide plura. 2. Corinth. 6. 4. & 8. Rom. 13. Prouerb. 8. Rom. 5. Item. Ioh. 9.

Fideiuſſores ſe plura quàm debitor deberet ſoluere, aut ignorarunt, aut ſciuerūt: Si ignorarūt, excuſata ignorātia

est: si sciuerunt, incumbebat ijs necessitas prouocandi.

Qui fatetur se rem perdidisse, fatetur quod rem olim habuerit. Priuatio enim presupponit habitũ. Sic nemo moritur qui non vixit: nemo se in seruitutem coniecit, qui non fuit anteà liber.

CAP. XVII.

De Paribus.

Arist. in Top. 13. c. lib. 1.

Argumenta simplicia ita fuerunt in cõsentaneis & dissentaneis, comparata sunt, quæ inter se comparantur, quæ tametsi ipsa comparationis natura æque nota sint, attamen alterum altero alicui notius & illustrius esse potest: Sæpéque notis breuius indicantur, aliquando partibus plenius distinguntur, quæ propositio, redditióque nominantur: atque omninò comparata etiã ficta arguunt fidémque faciunt. Comparatio est in quantitate vel qualitate: Quantitas qua res comparatæ quantæ dicuntur. Estque parium vel imparium: Paria sunt, quorum est vna quantitas: Argumentum igitur paris est, cùm par explicatur à pari, eiusque notæ sunt par, æquale, æquare, idem, quod, tam, quam, tanto, quanto, tot, quot, & non magis, non minus. Virgil. Æneid. 2.

Arist. in Philosophia. 2. c. lib. 4. & 2. cap. 11.
Arist. in Philosoph. lib. 5. cap. 15. & in Rhet. cap. 23. lib. 2.
Cicero in Topicis.

--*Par leuibus ventis.*

Æne. 3. *Et nunc æquali tecum pubesceret æuo.*

Æne. 6. *En huius nate auspiciis, illa inclyta Roma,*
Imperium terris, animos æquabit olympo.

Propositio deinde redditioque distingũtur.

4. Cat.

4.Cat. Cuius res geſtæ atque virtutes ijſdem, quibus ſolis curſus regionibus ac terminis cõtinentur. Æneid.4.

Tam ficti prauique tenax quàm nuntia veri.

Catul. *Tanto peſſimus omnium poëta,*
Quantò tu optimus omnium patronus.

Ouid.4.Triſt.

Littora quot conchas, quot amœna roſaria flores,
Quótque ſoporiferum grana papauer habet:
Sylua feras quot alit, quot piſcibus vnda natatur,
Quot tenerum pennis aëra pulſat auis:
Tot premor aduerſis: quæ ſi comprendere coner,
Icariæ numerum dicere coner aquæ.

9.Philip. Neque enim ille magis iuris conſultus, quàm iuſtitiæ fuit: Itáque quæ proficiſcebantur à legibus & à iure ciuili, ſemper ad facilitatem æquitatémque referebat: neq; conſtituere litium actiones malebat, quàm controuerſias tollere. Ouid.2.de Arte,

Non minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri.

Pro Mur. Paria cognoſco eſſe iſta in L. Muræna, atque ita paria, vt neque ipſe dignitate vinci potuerit, neque te dignitate ſuperarit. 2.Philip. Quorum facinus commune, cur non eorum præda communis? Ter. in Adel.

Quando ego non curo tuum, ne cura meum.

Ampliſſimus eſt huius Topici vſus in ſacra pagina, Nunc enim ab vno pio ad omnes pios fit argumentum à pari: Nunc ad omnes impios ab vno impio. Prioris *Affirmat.*

exempla: Petri Apostoli magna est authoritas: Igitur & Pauli Apostoli magna est authoritas, nam de horum æqualitate prolixè ad Galatas. Cap. 1.

Negat. Deus non deseruit Iosuam: Igitur neque quemuis alium pium deseret. Iosʃ. Cap. 1.

Posterioris exempla:

Deus indurauit cor Pharaonis. Exod. 9. Hinc colligit Apostolus reliquos impios à Deo indurari. Rom. 9. Sic. Act. 1. hæc verba. Psal. 109. Fiat commoratio. &c. à Dauide quidem dicta sunt in Doech adulatorem Saul. A Petro verò accommodantur ad Iudam Christi proditorem.

Nunc à persona vnius pij speciatim, ad personam Christi. Sic à Salomone. 2. Sam. 7. ad Christum. Heb. 3. Et à Cyro Esaiæ. 42. ad Christum Matthæi. 12. Et à Dauide Psal. 25. & 41. ad Christum. Io. 15. & 13.

Huius etiam Topici vsus est, cùm à capite ad membra argumentamur, & quod Christus hæc vel illa fecerit pijs quoque eandem potestatem fore: & quòd in capite pręcessit, debere in membris sequi, vt auctor Apocalypseos. Capite. 2. ratiocinatur. Sic. 1. Corinth. 12. ad Colloss. 1. 3. 4. Ephes. 1. 4. Rom. 8. pluribus docetur ea quæ Christi sunt, communia fieri in Christum credentibus: Resurrexit Christus à mortuis: Ergo fideles resurgent. 1. Cor. 15. Christus omne iudicium habet. Io. 5: ergo fideles iudicabũt. 1. Cor. 6. De hac re Christus ipse. Mat. 9. Luc. 22. Io. 6. 15. Idem in Epistola. 2. 3. 4. Afflictus fuit Christus: ergo pij affligentur. 1. Pet. 2. Christus est rex & sacerdos: ergo omnes credẽtes sunt reges & sacerdotes. Ibidem. Sed hîc cauendum est ne alias à capite ad membra, aut à membris ad caput congeramus ducamusque rationes, quam quas in Scriptura explicatas promptum est inuenire.

Huc referuntur comparata paria à corporali ad spirituale. Esai. 8. 9. 35. 40 42. 43. 44. 45. 48. 49. 52. 54.

Sic Apost. Rom. 4. de bonis spiritualibus & internis inter-

interpretatur quæ ad bona corporeâ, externa & temporalia referuntur. Genes.15.de qua re fusius agit.Heb.11.

Sūt etiam comparata paria à spirituali ad corporale.

Domus Dei spiritualis, quæ est Ecclesia siue congregatio credentium, debet in inuocatione diuini numinis indesinenter occupari & exerceri: Igitur etiam templi materialis hic vsus esse debet, vt in eo pij orent. Mat.12. Marc.11.vide plura. Act.17.2.Cor.6.Heb.3.

Huc pertinet, Si contendamus quod illo obseruatum fuit tempore, etiam par esse vt hoc tempore obseruetur. An nescitis quod hi qui sacra operātur ex sacrificijs viuunt? qui sacrario assistunt vno cùm sacrario partem accipiunt? Leuit.2.6. Sic & Dominus ordinauit, vt qui Euangelium annunciant ex Euangelio viuant.1.Cor.9.Sic Ro.9.docetur electio ex capite.Exod.33.Miserebor.&c. Num secundum hominem hæc dico? an non & lex eadem dicit? Etenim in Mosis lege scriptum est. Deut.21. Non obligabis os boui trituranti. Num boues curæ sunt Deo? an hoc propter nos omninò dicit? propter nos enim hoc scriptum est.

Præcipua comparatorum redundantia, in mathematicas artes facta est. Si quid enim magnum est aut difficile, in toto Euclide vel Archimede, & cæteris Mathematicis, id per rationes & proportiones pręcipuè est declaratum. Itaque in rationum & proportionum doctrina octo axiomata primi libri, tum liber quintus totus, & septimi pars præcipua consumitur.

Par est ratio omnium astrorum & vnius: Luna autē rotunda esse docetur ex ijs quæ oculis nostris apparent: non est igitur dubium, quin cætera etiam rotunda sint. Arist.lib.2.de Cœlo.cap.11.

Vt minores bona immobilia sine decreto Iudicis alienare nō possunt: Ita nec furiosi nec prodigi bona immobilia sine iudicis decreto alienare nō possūt. In emptione & venditione bona fides seruanda est, ergo in locatione & cōductione. De his vide plura in Topicis Cic.

Si propter modestiam probitatemque mercenarios milites ciuitate donatis, vt Strabonem & Charidemum, non eos milites mercenarios exterminabitis, qui nefaria scelera perpetrarunt? Arist. Rhet. lib. 2. cap. 22.

Atqui Calliclos, si vobis munire licet vestrum fundũ: Nobis vtique nostrum quoque licuit. Sin pater meus muniendo, vobis iniuriam fecit: & vos mihi nunc facitis iniuriam, sic muniendo. Demost. contrà Caliclem.

Huius verò loci sunt consectaria illa è contrarijs quidem orta, sed parium collatione tractata: vt Martialis illud,

Tum seruum scis te genitum, blandéque fateris,
Cùm dicis dominum, Sosibiane, patrem.

Ouid. 1. Fast.

In pretio pretium nunc est, dat census honores,
Census amicitias, pauper vbique iacet.

Ex aduersis sunt frequentiora. Cice. pro Sylla. Neque veró quid mihi irascare, intelligere possum, si quod eum defendo, quem tu accusas, cur tibi quoque ipse non succenseo, qui accuses eum, quem ego defendo? Inimicum, inquis, accuso meum: & amicum (inquam) ego defendo meum. Sic 5. Tusc. Quod cùm fateantur satis magnam vim esse in vitiis ad miseram vitam, nónne fatendum est eandem vim in virtute esse ad beatam vitã? Contraria enim contrariorum sunt consequentia. Sic interdũ lacessiti par pari reponimus, qualis est Egl. 3. apud Virgilium contentio pastorum Damœtæ, primo hoc ænigma proponentis.

Dic

Dic quibus in terris & eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat cæli ſpatium non amplius vlnas.
Dic quibus in terris inſcripti nomina regum.
Naſcantur flores, & Phillida ſolus habeto.

Paria verò ficta ſunt illa apud Æſchinem Socraticum, quibus demõſtrat Socrates cum Xenophontis vxore & cum Xenophonte ipſo Aſpaſiam locutã. Dic mihi quęſo Xenophõtis vxor, ſi vicina tua melius habeat aurum quàm tu habes, vtrum illius an tuum malis? Illius, inquit. Et ſi veſtem, & cæterum ornamentum muliebre pretij maioris habeat, quàm tu habes, tuámne an illius malis? Illius verò reſpondit: Age verò, ſi virum, illa meliorem habeat, quàm tu habes, an illius malis? Hic mulier erubuit. Aſpaſia autem cum ipſo Xenophonte ſermonẽ inſtituit: Quæſo, inquit, ſi vicinus tuus meliorem equũ habeat quàm tuus eſt, tuúmne equum malis an illius? Illius, inquit. Quod ſi meliorem fundum habeat, quàm tu habes, vtrum tandem illius malis? Illius, inquit, meliorem ſcilicet. Quòd ſi vxorem meliorem habeat, quàm tu habes, vtrum illius malis? Atque hic Xenophon quoque ipſe tacuit.

CAP. XVIII.

De Maioribus.

Imparia ſunt, quorũ quantitas non eſt vna. Impar eſt maius aut minus: Maius eſt, cuius

quãtitas excedit. Propriæ notæ ſunt huius rationis. Non ſolùm,ſed etiam Malo hoc quàm illud, Pluſquam, item per comparationem Grammaticam,Cicero pro Muræna.

Tollitur è medio ---
non ſolùm iſta verboſa ſimulatio prudentiæ, ſed etiam illa domina rerum
--- ſapientia: vi geritur res:
Spernitur orator ---
non ſolùm odioſus in dicendo, aut loquax, verũ etiam --- *bonus, horridus miles amatur.*

Hinc ſumitur Logica quædã gradatio climaci rhetorico interdum coniuncta. Pro Milone. Neque verò ſe populo ſolùm,ſed etiam Senatui tradidit: neque Senatui modò, ſed etiam publicis præſidijs & armis: neque his tantùm, verumetiam eius poteſtati,cui Senatus totam Rempub.omnẽ Italiæ pubem,cuncta populi Romani arma commiſerat. Iuuenalis Saty.8.aduerſus glorioſum nobilem.

Malo pater tibi ſit Therſites, dummodo tu ſis
Æacidæ ſimilis, Vulcaniàque arma capeſſas,
Quàm te Therſitæ ſimilem producat Achilles.

Pro Marc.Plus admirationis habitura quàm gloriæ. Æneid. 1.

O ſocij (neque enim ignari ſumus antè malorum)
O paſſi grauiora: dabit Deus his quoque finem.

Cice.pro Mur. Noli tam eſſe iniuſtus, vt cum tui fontes vel inimicis tuis pateant, noſtros

ſtros riuulos etiam amicis putes clauſos eſſe oportere. Hinc illa gradatio eſt ſine climache Rhetorico apud Terent.

Thr. *Magnas verò agere gratias Thais mihi?*
Gn. *Ingentes:* Thr. *Ain tu? Læta eſt?* Gn. *Non tã ipſo quidẽ dono, quã abs te datũ eſſe: Id verò ſeriò Triumphat.*

Ficta verò maiora etiam plurimùm valent. Terent. Heau. *Satrapes ſi ſiet*
Amator nunquam ſufferre eius ſumptus queat
Ne dum tu poſſis. 5. Æneid.
Magnanimè Ænea, non ſi mihi Iuppiter author
Spondeat, hoc ſperem Italiam contingere cælo:
Mutati tranſuerſa fremunt, & veſpere ab atro
Conſurgunt venti, atque in nubem cogitur aër:
Nec nos obniti contra, nec tendere tantùm
Sufficimus.

Commendat ſuam charitatem erga nos Deus, quod quum adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus ſit, iuſtificati igitur eius ſanguine, ſeruabimur nunc multo magis per eum ab ira. Nam ſi quum inimici eſſemus, reconciliati fuimus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati ſeruabimur per vitam ipſius, neq; id ſolùm, verum etiam gloriamur in Deo, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem nunc recõciliationem aſſequuti ſumus. Rom. 5. 8. *Non ſolùm. ſed etiam.*

Ago Deo meo gratias, quod magis quàm veſtrûm quiſquam linguas teneo peregrinas. Sed in concione malo quinq; verba ſic eloqui, vt intelligatur oratio mea quò alios erudiam, quàm ignoto ſermone mille verba. 1. Cor. 14. 18. *Malo hoc quã illud.*

Hebræi ſunt? ſum & ego: Iſraelitæ ſunt? ſum & ego:

Comp. à maiore.

ſemen Abrahæ ſunt? ſum & ego. Miniſtri Chriſti ſunt? (deſipiens loquor) ſupero ego: infatigationibus, amplius: in vulneribus ſupra illos: in carceribus, amplius: in mortibus, ſæpe &c.

Si inæqualiũ alterũ fuerit tertiò inæquale: & reliquum erit eidẽ inæquale.

Maius in elementis Euclidis ſub nomine totius explicatur, vt in 8. axiomate primi: & nomine multiplicis, vt 3. definitione quinti, & 5. ſeptimi. Conferantur tria, Item alia tria cum duobus: ſi tria ſunt inæqualia duobus, etiam illa altera tria erunt.

Si inæqualibus æqualia addantur, tota reunt inæqualia.

Item lumina Solis & Lunæ ſint inæqualia: æqualia addantur vtrique reliquarum ſtellarum lumina, tot erunt inæqualia. Id eſt maius erit maius tanto, & minus tanto minus: detrahantur vtriq; æqualia eadem, reliqua erunt inæqualia: Id eſt vt anteà maius perinde maius, & minus perinde minus.

Si quod videtur minus inesse, ineſt & quod maius.

Si in vrbe aquæ arceantur, etiam in vrbe fines regantur. Cicero in Topicis.

Dauid leonem arripuit atque interfecit: ſimiliter occidit vrſum. Quidni, igitur, & Philiſtæum Goliath conficeret. 1. Sam. 17. Plura vide Io. 13. & 15. & 10. 1. Pet. 4. & 2. Pet. 2. & Mat. 6. Io. 7. & 4. Mat. 12. 1. Cor. 3.

Si in contractibus ſtricti iuris bona etiam fides interuenire debet: ergo multo magis in contractibus bonæ fidei, bona fides interuenit. Si is qui muros violauerit, capite plectendus eſt: ergo etiam qui loca ſacra violauerit, capite plectetur.

Abſurdum certè fuerit, nos ligna, lapides, & ferrum quæ voce & mente carent, ſi quem delapſa occiderint exterminare: & ſi quis ſeipſum occiderit, manum qui id fecit, ſeorſim à reliquo corpore ſepelire: Demoſthenem autem qui omnium poſtremam expeditionẽ decreuit, qui milites perdidit coronare. Dem. aduerſus Cteſiph.

CAP. XIX.

De Minoribus.

Minus eſt, cuius quantitas exceditur. Minus

autem

autem ſæpe indicatur proprijs notis, vt non ſolum, ſed ne: potius hoc quàm illud: cum, tum. Item per Grammaticam comparationem: denique per negationem parium. Cice. 2. Catil. Nemo non modo Romæ, ſed ne vllo in angulo totius Italiæ oppreſſus ære alieno fuit, quem non ad hoc incredibile ſceleris fœdus aſciuerit. 1. Catil. vt exul potius tentare, quàm cõſul vexare Remp. poſſis. 2. Agr. Quæ cum omnibus eſt difficilis & magna ratio, tum verò mihi præter cæteros.

Ouid. 3. de Triſt.

Sæuior es triſti Buſiride, ſæuior illo,
Qui falſum lento torruit igne bouem.

Ouid. 1. Remed,

Vt corpus redimas, ferrum patieris & ignes.
Arida nec ſitiens ora leuabis aqua:
Vt valeas animo quicquam tolerare negabis?
At pretium pars hæc corpore maius habet.

Atque huius eiuſdẽ ſpeciei ſunt hæ formulæ, quæ fiunt negatione parium. Phi. 9. Omnes ex omni ætate qui in hac ciuitate intelligẽtiam iuris habuerunt, ſi vnum in locum conferantur, cum Seruio Sulpitio non ſunt conferendi. Cat. 2. Quanquam illi qui Catilinam Maſſiliam ire dictitant, non tam hæc querũtur quàm verentur. Pro Muræna, Quod enim fretum, quem Euripum tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes, fluctuum quãtas perturbationes & quãtos æſtus

habet ratio comitiorum? Aliquando nota nulla eſt, Pro Marcel. Tantùm abes à perfe- ctione maximorum operum, vt fundamenta, quæ cogitas, nondum ieceris. Pro Archia. Saxa & ſolitudines voci reſpondent: beſtiæ ſæpe immanes cantu flectuntur atque conſi- ſtunt, nos inſtituti rebus optimis non poëta- rum voce moueamur? 7. Ver. Gradatio illa eſt à minoribus. Facinus eſt vincire ciuem Rom. ſcel⁹ verberare: propè parricidium ne- care: quid dicam in crucem tollere? Fingun- tur etiam minora. Virgil. Egl. 1.

Antè leues ergo paſcentur in æthere cerui,
Et freta deſtituent nudos in littore piſces:
Antè pererratis amborum finibus, exul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Ti- grim,
Quàm noſtro illius labatur pectore vultus.

2. Philip. O rem non modo viſu fœdam, ſed etiam auditu: Si inter cœnam, in tuis im- manibus illis poculis hoc tibi accidiſſet, quis non turpe duceret? In cœtu verò populi Ro. negotiū publicum gerens, magiſter equitum, cui ructare turpe eſſet, is vomens fruſtis eſcu- lentis vinum redolentibus gremium ſuum & totum tribunal impleuit.

Operibus lege diuina mandatis homo non iuſtifica- bitur: Ergo multo minus humanis traditionibus. Ro. 3. Galat. 2.

Qui

Qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum:qui fieri poteſt, vt non & cum eodem nobis omnia donet.Rom.8.

Minus in Euclidis elementis pars aut partes appellatur. Pars, quando aliquoties ſumpta reſtituit totum: ſecus partes appellantur, vt prima definitione quinti, & tertia quartáque definitione ſeptimi.

Si maritus cùm facere nihil poſſit, dotem ſoluerit, in ea cauſa eſt,vt repetere non poſſit:Ergo etiam quod nomine mariti qui ſoluendo non eſt, alius mulieri ſoluit, repetere non poteſt.

Si precibus paternis, vt poſſeſſionibus quas vi occupauit cedat,adduci non poteſt: Ergo ne amicorum præcibus perſuadebitur. Plura apud Ciceronem in Topicis.

Improbus atque impius pater, numquam bonus erit Reipub.gubernator: & qui chariſſimos & coniunctiſſimos quóſque non diligit, numquam vos alienos pluris faciet: & qui priuatim malus eſt, numquam futurus eſt publicè bonus: quiq; domi ſceleratus eſt,numquam in Macedonica legatione virum probum prebuit. Neq; enim mores ſed locum duntaxat mutauit. Æſch.contra Cteſiphont.

CAP, XX.

De Similibus.

Adhuc comparatio in quantitate fuit, ſequitur comparatio in qualitate, qua res comparatæ quales dicuntur: nempè ſimiles aut diſſimiles. Similia ſunt, quorum eſt eadem qualitas: ſimilitudo proportio dicitur, vt ſimilia proportionalia.Notę ſimilitudinis(quę vno verbo concluditur) ſunt, Similis, Effigies, More, Inſtar, Tanquam, Sicuti: tum

Ariſt.in Philoſop.15.c.5. in Categoria qualitatis.14. cap.2. Topic. 1. Poſterior. c.5. in Phiſic. cap.6.lib.9.

negatio dissimilitudinis, Haud secus, non aliter. 1. Æneid.

Os humerósque deo similis. ---

9. Philip. Quanquam nullum monimẽtum clarius Seruius Sulpitius relinquere potuit, quàm effigiem morum suorum, virtutis, constantiæ, pietatis, ingenij, filium. 1. Trist.

Namq́ ea vel nemo, vel qui mihi vulnera fecit,
Solus Achilleo tollere more potest.

In Pis. Vnus ille dies mihi quidem instar immortalitatis fuit, quo in patriam redij. Verr. 1. Sed repentè è vestigio ex homine, tanquam aliquo poculo Circeo, factus est Verres. Pro Pompeio, Itáque omnes quidem nunc in his locis Gn. Pompeium sicut aliquem non ex hac vrbe missum, sed de cælo delapsum intuentur. 3. Æneid.

Haud secus ac iussi faciunt. ---

Terentius in Phor.

Ego isti nihilo sum aliter, ac fui.

Similitudinis partes deinceps explicantur, & quidem disiunctè vel continuè. Similitudo disiuncta est, quando termini quatuor re ipsa distinguntur. Ecl. 5.

Tale tuum carmen nobis diuine poëta,
Quale sopor fessis in gramine. ---

At dicet aliquis, quomodo suscitantur mortui? quali autem corpore prodeunt? Demens quod tu seminas nõ viuiscit nisi mortuum fuerit, & quod seminas, nõ corpus

oriturum ſeminas, ſed nudum granum, prout inciderit, tritici aut alicuiꝰ ex reliquis granis, ſed Deus dat ei corpus &c. Ita & in reſurrectione mortuorum: ſeminatur corpus corruptioni obnoxium, excitatur incorruptum. &c.1.Cor.15.35.

Xenophanes dicebat ſimili modo impios eſſe illos, qui dicerent deos eſſe natos, atq; eos qui dicerent deos interire, nam vtróque modo fit, vt dij aliquando non ſint Ariſtot.lib.Rhet.2.Cap.22.

Sicut porcum non ornat monile appenſum naribus, vel ſi aureum ſit: Ita forma non prodeſt mulieri, ſi deſtituto recto iudicio illa abutatur. Prou.11.

Quemadmodũ linea cuiꝰ finis eſt & terminus, immẽſa eſſe non poteſt, ſed ea demùm quæ immenſam habet longitudinem, ſic etiam extremitas, qua ex parte eſt terminus, non poteſt. Ariſtot.Lib.1.de Cœlo.Cap.5.

In vniuerſum quidem de illis Hip. & Plato difinierũt quæ errores & dubitationes vel optimis quibúſque medicis exhibere conſueuerunt. At, Plato in hũc modum: Primùm, inquit, debet ille qui alios fallere, ſe à nullo falli vult, ſimilitudinem & diſſimilitudinem rerum optimè tenere. Hippocrates verò ſcriptum in præſagijs reliquit: In acutis morbis ad hunc modũ contemplari debemus. Primum an ægrotantis facies, valẽtium faciebus, & precipuè ipſa ſibijpſi ſimilis ſit. Optimum enim hoc eſt in ægrotante iudicium: ſicuti peſſimum eſt, cùm longè à ſimilitudine diuerſa conſpicitur: vt. Naſus acutus, oculi caui, &c. Gal.de Dogmat.Plat.& Hip.Lib.9. De hac re vide plura apud Gal.in Commentarijs ad ea quę in medicatrina fiunt, vbi hoc axioma apud Hip.extat: Similia an diſſimilia ſint à principio inſpiciendum. Vide etiam lib.de Articulis. *In Phedro.*

Quemadmodum ſi in vrbe de finibus cõtrouerſia eſt, quia fines magis agrorum videntur eſſe quàm vrbis, finibus regendis adijcere arbitrium non poſſis: Sic ſi aqua pluuia in vrbe mouet, quoniam res tota magis agrorum eſt, aquæ pluuiæ arcendæ adijcere non poſſis arbitrium. Cicer.in Top.

Carmen ad auditorem, vt ſopor ad feſſum, termini quatuor diſtincti ſunt. Ad Frat. 1. Quemadmodum gubernatores optimi vim tempeſtatis, ſic ſapientiſſimi viri fortunæ impetum perſæpè ſuperare nõ poſſunt. Hic quatuor ſunt item termini, vt gubernator ad tempeſtatem, ſic ſapiens ad fortunam. 1. Triſt.

Scilicet vt fuluum ſpectatur in ignibus aurum,
Tempore ſic duro eſt inſpicienda fides.

Cice. 2. Phil. Sed nimirum vt quidam morbo & ſenſus ſtupore, ſuauitatem cibi nõ ſentiunt: ſic libidinoſi, auari, facinoroſi, veræ laudis guſtum non habent. Virgilius fecerat hos verſus,

Noctè pluit tota, redeunt ſpectacula manè:
Diuiſum imperium cum ioue Cæſar habet.

Batyllus arrogauerat ſibi, præmiúmque magnum erat adeptus. His igitur ſimilibus Batyllum Virgilius luſit,

Hos ego verſiculos feci, tulit alter honores:
Sic vos non vobis nidificatis aues.
Sic vos non vobis mellificatis apes:
Sic vos non vobis vellera fertis oues:
Sic vos non vobis fertis aratra boues.

Aliquando nulla prorſus eſt nota. Ecl. 2.

O formosè puer, nimium ne crede colori,
Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra legũtur.

Similitudo disiuncta.

AT qui inania quæ ſonum ædunt, ſiue tibia ſit, ſiue cithara, niſi diſtinctionem ſonis dederint, quomodo cognoſcetur quod tibia canitur aut cithara? Etenim ſi incer-

incertum ſonum tuba dederit, quis apparabitur ad bellum? Ita & vos niſi per linguam bene ſignificantem ſermonem edideritis, quomodo intelligetur quod dicitur? eritis enim in aërem loquentes. 1.Cor.14. 7.

Vxores ſubditæ ſitis veſtris viris, quemadmodum Sara Abrahæ, dominum illum appellans. 1.Pet.3.

Boni paſtoris eſt noſce oues pertinentes ad ouile ſuum: Igitur & Epiſcopus ſiue eccleſiæ doctor, notiam habere debet ſuorum auditorum. Io.10. 1.

Rurſus ouium gregem nemo committit rei pecuariæ ignaro: ergo ad Eccleſiæ gubernationem non prouchetur rerum ſpiritualium & diuinarum imperitus. vide plura. Epheſ.5.

Continua ſimilitudo eſt, quando eſt, vt primus terminus ad ſecundùm, ſic ſecundus ad tertium. 3. Leg. Videtíſne magiſtratus hanc eſſe vim, vt præſit, præſcribat recta & vtilia & coniuncta cum legibus? vt enim magiſtratibus leges, ita populo præſunt magiſtratus. Hîc termini ſunt tres: lex, magiſtratus, populus.

Imitatores mei eſtote, quemadmodũ ego ſum Chriſti. 1.Cor.11. *Similitudo continua.*

Ficta ſimilitudo parem vim habet ſuperioribus illis: ſed præcipuè in hac explicata ſimilitudine Æſopici apologi excellunt. Horat. 1. Epi.

Quod ſi me populus Romanus fortè roget, cur
Non vt porticibus, ſic iudiciis fruar iiſdem,
Nec ſequar, aut fugiam quæ diligit ipſe, vel odit
Olim quod vulpes ægroto cauta leoni

Respondit, referam: quia me vestigia terrent
Omnia te aduersum spectantia, nulla retrorsum.

Ficta similitudo. Huc referri debet parabolarum turba, cum adducitur res ficta, verò tamen similis. Sic Apostolus. Rom. 9.20. docet non posse accusari Deum iniustitiæ, quod hominẽ aliquẽ reprobet, sumpta similitudine ficta de figulo qua prius vsus est. Esaias Cap. 45.

O homo, tu qui es, qui ex aduerso responsas Deo? num dicet figmentum fictori? cur me talem fecisti? an nõ habet potestatem figulus in lutum, vt ex eadem massa faciat aliud quidem vas ad decus, aliud verò ad dedecus? Plura de hoc Topico, vide Math. 13. 21. 24. Marc. 4. Luc. 8. 14. 15. 19.

Finge mancipio aliquem dedisse id. quod mancipio dari non potest, num idcirco id eius factum est qui accepit? aut num is qui mancipio dedit ob eam rem se vlla re obligauit? Cicer. in Topicis.

CAP. XXI.

De Dissimilibus.

Arist. in Categor. qualitatis. in Top. c. 14. lib. 1. Dissimilia sunt comparata, quorum qualitas est diuersa. Dissimilitudinis propriæ notæ sunt, dissimle, dispar, differens, aliud, secus. pro Plã. Quanquam dissimilis est debitio pecuniæ & gratiæ. Ennius, *Cice. 1. Officior.*

O domus antiqua, heu quàm dispari dominare domino.

Cæsar 1. bell. Gall. Hi omnes lingua institutis, legibus inter se differunt. 2. Agar. Alio vultu, alio vocis sono, alio in cessu esse meditabatur. Cic. 2. Nat. Quoniam cœpi secus agere atque initio dixeram. Dissimilitudinis

notæ

notæ etiam ſunt per negationem ſimilium. 3. de Orat. Non eſt philoſophia ſimilis artium reliquarum. 2. Æneid.

At non ille, ſatum quo te mentiris, Achilles,
Talis in hoſte fuit Priamo.----

Horat. 1. Epiſt.

Non eadem eſt ætas, non mens. ----

1. ad Frat. Sit annulus tuus, non tanquam vas aliquod, ſed tanquam ipſe tu. 3. Phil. Certus dies non vt ſacrificij, ſic conſilij expectari ſolet. Hoc argumento paſtor ille errorem ſuũ confitetur:

Vrbem (quàm dicunt Romam) Melibœe, putaui
Stultus ego, huic noſtræ ſimilem. -- Et mox,
Sic canibus catulos ſimiles, ſic matribus hædos.
Noram, ſic paruis componere magna ſolebam.

Vt nec canibus catuli, nec matribus hœdi, ſic nec Mantua Romæ ſimilis eſt. Nota plærúnque nulla eſt, & diſſimilitudo plenius explicatur. Quintil. lib. 5. c. 11, Brutus occidit liberos proditionem molientes. Manlius virtutem filij morte mulctauit. Catullus.

Soles occidere & redire poſſunt:
Nobis cum ſemel occidit breuis lux,
Nox eſt perpetua vna dormienda.

Mat. 11. Tyrannus non poteſt perdere niſi corpus: at Deus poteſt perdere & corpus & animam: ex quo colligitur Deum eſſe timendum præ omnibus hominibus.

Hypocritæ dant ælemoſynas in conciliabulis & vicis, vt glorificentur ab hominibus: Pij verò impendunt æ-

lemoſynas in occulto, vt ſiniſtra manus quid faciat dextra ignoret: itaque hi mercedem accipient à Deo, illi ab hominibus: vide plura Math. 8. Luc. 9. Item, 2. Corin. 3. Heb. 7. 8. 9. de diſſimilibus legis & Euangelij: ſacerdotij Chriſti, & legalis ſacerdotij.

Deus nulli rei ſimilis.

Mortalium è rebus Deum ſeiungito
Neque ſimilem vnquam eum tibi eſſe credito. *Æſchylus.*

Hinc illa Antiſthenis argumentatio aduerſus ſimulachrorum cultum: Deus nulli eſt ſimilis: ergo non poteſt ex imagine cognoſci.

Piorum & Impiorum diſſimilitudines.

Qui iniuſtitiam pluris faciunt, & ſummum bonum in eo ponunt, vt alienis bonis potiantur: eos ſimiles eſſe video, feris quæ ineſcantur: ac initio quidem his quæ præhendunt, cùm voluptate frui, ſed paulò poſt in maximis eſſe malis. Eos autem qui pietatem & iuſtitiam colunt, & perpetuò in tuto eſſe, & de reliquo æui ſpatio ſpem habere meliorem. Iſocrat. de pace.

Non quemadmodum quod mulieri debes, rectè ipſi mulieri ſine tutore auctore ſoluas: Ita quod aut pupillæ aut pupillo debeas, rectè poſſis eodem modo ſoluere. Cicer. in Topicis.

CAP. XXII.

De Coniugatis.

Ariſt. 2. cap. 2. Topic. & 4. c. 3. & 2. c. 7.

Hactenus prima argumenta ſunt expoſita, ſequuntur orta de primis, quæ perinde ſunt ad id quod arguunt, ſicut prima, vnde oriuntur: vt coniugata & notatio: diſtributio & definitio. Coniugata ſunt nomina ab eodem principio variè deducta, vt iuſtitia, iuſtus, iuſtè. In coniugatis ſymbolum eſt cōſentaneorum argumētorum. Propertius libro ſecundo:

Libertas quoniam nulli iam reſtat amanti,
Nullus liber erit, ſi quis amare velit.

Hic

Hîc libertas caussa est, cur sis liber. Cice. 3. de Nat. Deorum, cum de Dionysio Tyranno loquitur: Iam mensas argenteas de omnibus delubris iussit auferri, in quibus quod more veteris Græciæ inscriptum esset, Bonorum Deorum, vti eorum bonitate velle se dicebat: Dij boni sunt: eorum igitur bonitate est vtẽdum. Hic ex effectis ad caussas est disputatum. Terent.

Homo sum, humani à me nihil alienum puto.

Ex subiecto est ad adiunctũ. Contrà Phil. 2. Non tractabo vt Consulem, ne ille quidem me vt Cõsularem. In Pison. Cùm esset omnis illa caussa Consularis & Senatoria, auxilio mihi opus fuerat & Consulis & Senatus.

Si verè discipuli mei eritis: Cognoscetis veritatem. Io. 8. 31.

Qui à Deo est, Dei verba audit. Vos ideò non audistis, quia à Deo non estis. Io. 9.

Arrium illi sequuntur: Ergo Arriani sunt.

In Nestoris sceleratam sectam nomẽ dederunt: Ergo Nestoriani sunt.

Si pluuiam aquam eo modo intelligeremus, quàm imbri collectam videmus, veniret Mulius, qui quia coniugata verba essent pluuia & pluendo, diceret omnem aquã oportere arceri, quæ pluendo creuisset. Cic. in Top.

Si compascuus ager est, ius est capescere. Cic. in Top.

Stipulari est facere: ergo stipulatio est factum.

Iustitiam colũt iurisperiti: ergo iuris sacerdotes sunt.

CAP. XXIII.

De Notatione.

Notatio est nominis interpretatio: nomina- *Plato in Cratylo. Cicero in Topicis.*

ſiquidem ſunt notæ rerum, nominúmque vel deriuatorum, vel compoſitorum, ſi vera notatione fiant, ratio reddi poteſt ex aliquo argumento primo: vt homo ab humo. Ouid. 6. Faſt.

Stat vi terra ſua, vi ſtando veſta vocatur.

Ex cauſſa eſt notatio:

At focus à flammis & quod fouet omnia dictus.

Ex effectis eſt notatio:

Itē 4. Ver. O Verrea præclara: Quo enim acceſſiſti, quo nō attuleris tecum iſtum diem? Etenim quam tu domum, quam vrbem adijſti, quod fanum denique, quod non euerſum atque exterſum reliqueris? Quare appellentur ſanè iſta Verrea, quæ non ex nomine, ſed ex moribus naturáque tua conſtituta eſſe videantur. Ex effectis item eſt notatio. Ouid. 1. Faſt.

Prima dies tibi Carna datur, dea cardinis hæc eſt,
Nomine clauſa aperit, claudit aperta ſuo.

Hic eſt notatio è ſubiecto cardine, circa quē numen deæ exercetur. At ex adiunctis notatio eſt Bambalionis 2. Phili. quia balbus & ſtupidus: hinc igitur cauillatio in Antonium generum. Tuæ coniugis, bonæ fœminæ, locupletis quidem certè, Bambalio quidam pater, homo nullo numero, nihil illo contemptius: qui propter hæſitantiam linguæ ſtuporémque cordis cognomen ex contumelia traxerit. Ex adiunctis eſt notatio. E diſſentaneis

autem

autem ſunt illa apud Quintilianum, libro primo capitè ſexto Lucus, quia vmbra opac⁹, parum luceat: & ludus quia ſit longiſſimè à luſu: & Dis quia minimè diues. Poteſt etiam è comparatis eſſe notatio: vt Pyropus quòd ignis flammam imitetur. Eſt verò vt notationi ad ſuum nomen, ſic nomini ad notationem ſua affectio: vt Animi plenus, ergo animoſus, & contrà, Animoſus, ergo animi plenus.

Author Epiſtolæ ad Hebreos cap. 7. in diſputatione de abrogatione ſacerdotij Leuitici atque legis, & æterna ſucceſſione ſacerdotij Chriſti & Euangelij, aſtruit de Chriſto ceciniſſe vatem. Pſal. 110. Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. Quo autem fidem faciat, argumento ſumpto à notatione nominis, vel ab etymologia euincit, verba illa in Chriſtum competere: Melchiſedech inquit erat rex Salem & pontifex Dei altiſſimi, & ex interpretatione nominis Melchiſedech dicitur rex iuſtitiæ. Deinde rex ſalē, idem eſt quod rex pacis: atque hæ appellationes ſi rectè expendamus, vni Chriſto iuſtitiæ atque pacis authori præ omnibus conuenit. Chriſtus igitur ſacerdotio eterno fungitur, cui vetus illud aronicum cedere debet.

Emanuel ſi interpretetur ſonat nobiſcū Deus. Mat. 1. Sed hoc eſt verum Chriſti nomen. Eſa. 7. Ergo Chriſtus eſt verus Deus. Vide plura Geneſ. 27. de nomine Iacob. & Exod. 2. de Moſis nomine &c.

Cùm lex Ælia Sāctia aſſiduo vindicem aſſiduum eſſe iubet, locupletem iubet locupleti. Locuples enim aſſiduus, vt ait Ælius, appellatus eſt ab ære Dando. Cicer. in Topicis.

Plebiſcitum dicitur quòd plebs plebæio magiſtratu interrogante, veluti tribuno, conſtituebat. Teſtamētum ex eo dicitur, quòd teſtatio mētis ſit. Inſtit. Lib. 2. Tit. 10.

Non de meo fit tuum:ergo mutuum non extitit.

Latior est huius Topici vsus in sacra pagina, vtpote cùm à communi & vulgata significatione argumentum ducitur.

Huius generis est illud ad Rom.4.quo asseritur gentes esse filios Abrahæ, probatione ducta à promissione Abrahæ facta. Dictum est,inquit, Patrem multarum gentium constitui te. Sic ergo concionatur. Abrahamus est pater multarum gentium: Igitur & gentes quoque sunt filij Abrahami.

Huc refer illud Sophoclis.

Ferrea verè diceris, nam ferrea es.

Et illud Herodici: Thrasymache,semper Thrasymachus es: & tu Pole semper Polus es. Idem Draconem legislatorem simulabat, quòd eius leges, non hominis, sed Draconis essent: erant enim asperæ. His adde illud Euripidis:aduersus Venerem:

Accommodatum nomen est tibi inditum,
Regina dementia cùm tu sola sis.

Et Chæremonis de Pentheo dictum.

Penthæus futura sortis agnomen tulit.

CAP. XXIIII.

De Distributione.

Arist. 32. c. 1.poster.& 5. 14.16. cap.2. poster.

Reliquum est exortis aliunde argumentis argumentum distributionis & definitionis:in qua vtraque affectio reciprocationis est, illic partium omnium cum toto, hîc definitionis cum definito. Distributio est cùm totũ in partes distribuitur. Totum est,quod cõtinet partes. Pars est,quæ continetur à toto. Atque vt distinctio totius in partes, distributio sic collectio

Arist. 33. c. 2.prior. 10. c. 1.Topic.

lectio partium ad constituendum totum, inductio dicitur.

Distributio sumitur ex argumẽtis toti quidem consentaneis, inter se autem dissentaneis. Itaque tanto accuratior erit, quanto partium & cum toto consensio, & inter se dissensio maior fuerit.

CAP. XXV.

De Distributione ex caussis.

Distributio prima est ex absolutè consentaneis, caussis nempè & effectis. Distributio ex caussis est, quando partes sunt caussæ totius. Hîc distributio integri in sua membra præcipuè laudatur. Integrum est totum, cui partes sunt essentiales: membrum est pars integri. Sic Grammatica in etymologiam & syntaxim, Rhetorica in elocutionem & actionem, Dialectica in inuentionem & iudicium diuiditur. Ab his enim partibus artes illæ cõstituuntur. Hæc distributio principalis est, cũ rei longioris explicatio suscipitur. 1. Georg. *Arist. in Philosoph. 26. c. lib. 5.*

Quid faciat lætas segetes, quo sidere terram
Vertere Mecœnas, vlmísque adiungere vites
Cõueniat: quæ cura boum, quis cultus habẽdo
Sit pecori, atq; apibus quãta experiẽtia parcis,
Hinc canere incipiam. ----

Cice. pro Mur. Intelligo (iudices) tres totius accusationis partes fuisse. & earum vnam in reprehensione vitæ, alteram in contentione

dignitatis, tertiam in criminibus ambitus esse versatam. Quin etiam aliter tractatur hoc argumenti genus, vel à partibus ad totum, vel à toto ad partes. Catullus:

Quintia formosa est multis: mihi candida, longa
Recta est: hæc ego sic singula confiteor:
Totum illud, formosa, nego: nam nulla venustas,
Nulla in tam magno est corpore mica salis.
Lesbia formosa est: quæ cum pulcherrima tota est
Tum omnibus vna omnes surripuit Veneres.

A toto ad partes affirmat.

Timotheum profert ac tuetur sanam doctrinam: Igitur profert & tuetur legem & Euangelium. &c.

Filius Dei condidit omnes creaturas: Igitur condidit inuisibiles, siue cœlestes, & visibiles siue terrenas.

A toto ad partes negat.

Nulla scriptura docet filium Dei debere pati pro Angelis lapsis: Igitur neque Lex, neque Prophetæ, neque Psalmi, neque Apostoli, neque Euangelistæ hoc docet.

Diuisio à causa materiali.

Febrium aliæ biliosæ aliæ pituitosæ. &c.

A toto ad partes.

Sempronius mihi domum suam vendidit: Ergo & omnes parietes, omnia cubicula, omnia vaporaria mihi vendidit.

A partibus ad totum.

Item Emptio, venditio, locatio, conductio, societas, mandatum, solo consensu contrahentium ineuntur, nec constat alias obligationes, huius farinæ aliter contrahi: Ergo omnes obligationes, quæ consensu contrahuntur, solo consensu contrahentium contrahuntur.

Diuisio à causa finali.

Interdictorũ quædam adipiscendæ possessionis causa comparatæ sunt, quædam retinendæ, quædam recuperandæ. Inst. lib. tit. 15.

Item Actiones rei persequendæ gratia comparatæ sunt, quædam pœnæ persequendæ, quædam mistæ sunt. Instit. lib. 4. tit. 6.

De hoc Topico in Iure ciuili, vide Cic. in Top.

Non

Non est grammaticus: quoniam Syntaxin non nouit, non Rhetor: quoniam eloquutionis imperitus est. Tu ne dialecticus: qui neque inueniendi rationem, nec iudicandi noueris?

In tres partes distribuitur dies cùm violatarum legum actio proponitur. Nam prima aqua accusatori & legibus infunditur, ac libertati. Secunda aqua reo & eis qui in ipsam rem dicturi sunt: quod si primo suffragio non soluta fuerit legum violatio. Iam tertia aqua infunditur æstimationi mulctæ & magnitudini vestræ iracundiæ. Æschynes: dedit præteritum tempus bono viro multas declarandæ beneuolentiæ suæ occasiones: in quarum nulla te fuisse constat, non primum, non secundum, non tertium, non quartum, non quintum, non sextum, non deníque vllo in numero: non certè cum patriæ opes augerentur. Nam quæ societas tua opera est inita cum Repub.? quod latum auxilium? quæ parta beneuolentia aut gloria? quæ obita legatio? quod ministerium, per quod Respub. facta sit honoratior? quid nostrarum quid græcanicarum rerum, aut hospitalium quibus præfuisti, per te correctum? quæ triremes? quæ arma? quæ naualia? quæ murorum instauratio? qui equitatus? quæ deníque vllis in rebus tui fuit vtilitas? quod vel locupletibus, vel tenuibus ciuile & æquum per te latum est pecunię auxilium? nullum. Demost. pro Corona.

CAP. XXVI.

De Distributione ex effectis, vbi de genere & specie.

Distributio ex effectis est quando partes sunt effecta: vt in naui nautæ alij malos scandunt, alij per foros cursitant, alij sentinam exhauriunt, gubernator autem clauum tenet in puppi. Distributio generis in species hîc ex-

De genere & specie Porphyrius in categoremat. Arist. in Categorij & 15. c. 2. poster. in Topic. lib. 4.

cellit. Genus est totũ partibus essentiale. Species est pars generis: Sic animal genus hominis & bestiæ dicimus. Animal enim est totum, cuius essentia, nempe corporea, animata, sentiẽs, ad bestiam & hominem communiter attinet. Sic dicimus hominem & bestiam species animalis, quia partes sunt animali subiectæ, quæ animalis essentiam communem habent. Sic dicimus hominem, genus hominum, singulorum, & leonem, singulorum leonum: contrà verò singulos homines, species hominis, singulos leones, leonis. Genus est generalissimum aut subalternum. Species subalterna aut specialissima. Genus generalissimum, cuius nullum est genus: vt in Logica inuentione, Argumentum est genus, generalissimum artificialium & inartificialium.

Subalternum genus, vt subalterna itẽ species, quod species huius, illius autem genus est: vt caussa, species est argumenti absolutè consentanei, genus materiæ & formæ. Species specialissima, quę est indiuidua in species alias, vt materia & forma singulares. Genus verò & species notæ sunt caussarũ & effectorum: vt in animali est essentia corporea, quæ materia est ad species communiter attinens: tum facultas vitæ & sensus, quæ forma item communiter ad species spectat. Quare genus continet caussas, quæ communiter ad ipsius species attinent: contrà itaque etiam species effe-

effecta generis sui continent. Hinc vniuersale est insigne ac præstabile, quia caussam declarat. Distributio generis in species valdè quidem excellit, sed difficilis est & rara inuentu. Attamen illustrationis & exempli gratia afferemus, quod poterimus. Ouid. 1. Metamor. diuidit animal in quinq; species, stellas, aues, bestias, pisces, homines: stellis animam tribuit, vt etiam philosophi tribuere,

Neu regio foret vlla suis animalibus orba,
Astra tenent cæleste solùm formæq; deorum,
Cesserunt nitidis habitandæ piscibus vndæ:
Terra feras cepit, volucres agitabilis aër.
Sanctius his animal mentísque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset,
Natus homo est. ---

Sic Cice. 1. Offic. Virtutem diuidit in species quatuor, prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam. Sed omne, quod honestum est, id quatuor partium oritur ex aliqua: aut enim in perspicientia veri solertiaq; versatur, aut in societate hominũ tuenda, tribuendóque suum vnicuique, & rerum cõtractarum fide, aut in animi excelsi atque inuicti magnitudine ac robore, aut in omnibus, quæ fiũt, quæque dicũtur, ordine & modo, in quo inest modestia & temperantia.

Idolum nihil est: nõ est Deus igitur Idolum Moloch. Idolum Baal, Idolum Beelsebub. 1. Cor. 8.

Omnis trianguli, quiuis duo anguli duobus rectis

ſunt minores:ſed ſcalenus △ eſt triangulus, quiuis ergo duo anguli ſcaleni ſunt duobus rectis angulis minores.

Febre laborat: ergo vel tertiana, vel quartana, vel ardenti. &c.

Quoniam argentum omne, mulieri legatum eſt, non poteſt ea pecunia quæ numerata domi relicta eſt, non eſſe legata. Forma enim à genere quoad ſuum nomen retinet, numquam ſeiungitur. Numerata autem pecunia nomē argenti retinet: legata igitur videtur. Cic. in Top.

Omnia ornamenta muliebria vxori legauit: ergo & inaures, armillas vxori legauit. Vſura non eſt licita: ergo nec centeſima vſura: ergo nec menſtrua vſura, ergo nec annua vſura eſt licita.

Diſtributio generis in formas ſpecierũ eadem eſt, quia formæ cum genere conſtituunt ſuas ſpecies: vt animaliũ aliud loquens, aliud mutum. Genus & ſpecies non ſolùm tractantur hac ſimplici diuiſionis formula, ſed etiam ſeparatim alterũ ex altero. Pro Archia, Ac ne quis à nobis hoc ita dici fortè miretur, quòd alia quædam in hoc facultas ſit ingenij, atque hæc dicendi ratio aut diſciplina: nec nos quidem huic cuncti ſtudio penitus vnquam dediti fuimus. Etenim omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent, habēt quoddam commune vinculũ, & quaſi cognatione quadam inter ſe continentur. Ars eſt genus: poëtica & eloquentia ſunt ſpecies. Contrà genus tractatur per ſpecies, vt 4. de Triſt.

Materiamq́; tuis triſtem virtutibus imple:
Ardua per præceps gloria vadit iter.

Hectora

Hectora quis nosset, fœlix si Troia fuisset?
Publica virtutis per mala facta via est:
Ars tua Tiphy iacet, si non sit in æquore fluctus:
Si valeant homines, ars tua, Phœbe, iacet.
Quæ latet, inq; bonis cessat non cognita rebus,
Apparet virtus, arguitúrque malis.

Exempla igitur specialia suo generi accõmodata sunt huius loci. 7. ad Attic. Vrbem tu relinquas? ergo idem si Galli venirent? Nõ est (inquit) in parietibus Respub. at in aris & focis: fecit idem Themistocles: fluctum enim totius barbariæ ferre vrbs vna non poterat. At idem Pericles non fecit, annum ferè post quinquagesimum, cum præter mœnia nil teneret: nostri olim vrbe reliqua capta, arcem tamen retinuerunt.

Si Christus prædicatur à mortuis resurrexisse, quomodo dicunt quidam inter vos, non esse resurrectionem mortuorum? Porrò si resurrectio mortuorum nõ est, ne Christus quidam, resurrexit. 1. Cor. 15. *Si est species, est etiam genus. Si non est genus, neque & species.*

Paulus Rom. 4. ab vno Abrahamo colligit omnem hominẽ fide iustificari absque operibus. Scriptura dicit: Credidit Abraham Deo, & imputatũ est ei ad iustitiam. Addit posteà, Scriptum id esse propter nos. Idem ad Hebræos pluribus singulis enumeratis idẽ dogma astruit.

Trianguli, quiuis duo anguli duobus rectis angulis sunt minores: ergo alicuius figuræ, quiuis duo anguli duobus rectis angulis sunt minores.

Tertiana laborat, vel quartana: ergo febre laborat.

Si ita Fabij pecunia legata est à viro, si ea vxor materfamilias esset, si ea in manum viri non conuenerit nihil debetur. Genus est enim Vxor: eius duæ formæ: vna

matrumfamilias, hæ ſunt quæ in manum conuenerunt: Altera earum quæ tantummodò vxores habentur. Qua in parte cùm fuerit Fabia, legatum ei non videtur. Cicero in Topicis. Si conſul eſt, certè magiſtratus: Si ſtipulatio, profectò obligatio: Si venditio, contractus: Si furtum, ergo maleficium.

CAP. XXVII.

De Diſtributione è ſubiectis.

Reliqua diſtributio eſt quodammodo cōſentaneorum, vt ſubiectorū & adiunctorum. Diſtributio è ſubiectis eſt, cùm partes ſunt ſubiecta, vt apud Catul.

Virginitas non tota tua eſt: ex parte parētum eſt,
Tertia pars matri data, pars data tertia patri:
Tertia ſola tua eſt: noli pugnare duobus,
Qui genero ſua iura ſimul cum dote dederunt.

Sic Cic. 5. Tuſcu. Sint enim tria genera bonorum, vt iam à laqueis Stoicorum, quibus vſum me pluribus quàm ſoleo, intelligo, recedamus. Sint ſanè illa genera bonorū, dum corporis & externa iaceant humi, & tantummodo quia ſumenda ſunt, appellentur bona. Alia autem diuina illa longè latéque ſe pandant, cœlúmque contingant, vt ea qui adeptus ſit, cur eum beatum modò & non beatiſſimum dixerim?

Diſtribut. à ſubiecto loco. Fortis eſt popul⁹ qui incolit eam regionem, & vrbes munitæ ſunt, & magnæ admodum: ad hæc filios Anac vidimus ibi. Amalech habitat in terra Meridiana & Hethæus & Iebuſæus, & Emoræus habitant in montibus: Che-

Chananæus verò habitat iuxta Mare, & ad ripã Iarden.

Febre laborat: ergo illa febris vel eſt in ſolidis partibus, vt hectica: vel in ſpiritibus vt diaria: vel in humoribus vt putrida.

Omnium autem actionum quibus inter aliquos apud iudices arbitróſue quacunque re queritur, aut enim in rem ſunt, aut in perſonam. Inſt. tit. de actionibus.

CAP. XXVIII.

De Diſtributione ex adiunctis.

Diſtributio ex adiunctis eſt, quando partes ſunt adiuncta: vt hominum alij ſani, alij ægri, alij diuites, alij pauperes. Sic Virg. 1. Geor. mundum diuidit in quinque partes, mediam torridam, duas extremas frigidas, & reliquas duas temperatas:

Quinque tenent cælũ zonæ, quarum vna coruſco
Semper Sole rubens, & torrida ſemper ab igni:
Quam circũ extremæ dextra læuáque trahũtur
Cærulea glacie concretæ, atque imbribus atris:
Has inter mediámque duæ mortalibus ægris
Munere conceſſæ diuum. ---

Cæſar 1. belli Gal. Gallia eſt omnis diuiſa in partes tres, quarum vnam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam qui ipſorum lingua Celtæ, noſtra Galli appellantur.

Hominum alij Iudæi, alij Græci. Neque Iudæi neque Græci culpa vacant. Rom. 3. Igitur nulli homines culpa vacant coram Deo.

Linearum alia recta, alia circularis, alia mixta, Item ſuperficierum alia plana, alia circularis, & ſphærica. Nu-

merorum alius par alius impar.

Febrium alia ſicca alia humida,alia vaporoſa.

Summa itaque diuiſio de iure perſonarum hæc eſt, quòd omnes ſint aut liberi aut ſerui. Inſt.lib.1.tit.3.

Arbitror vos omnes id mihi aſſenſuros, hæc in viro populari eſſe oportere. Primùm, vt ſit & à Patre & à matre ingenuus: ne ob generis infœlicitatem ſit inimic⁹ legibus,quæ libertatem populi tuentur. Secundo loco, vt à maioribus eius aliqua ſint in Remp. beneficia collata:quòd ſummè neceſſarium eſt, nullæ vt cum Repub. eis inimicitiæ intercesſerint: ne maiorum ſuorum calamitates vlciſcendo malefacere inſtituat ciuitati. Tertio, in quotidiana ratione victus, natura tẽperantem & moderatum eſſe oportet: ne ob pecuniæ profuſionem,pecuniam accipiat contrà populum. Quarto, beneuolum & eloquentem: nam præclara res eſt, ſi & animus optima quæq; inſtituit, & diſciplina oratoris atq; oratio audientibus perſuadeat: alioqui beneuolentia ſemper eſt eloquentiæ præferenda. Quinto,animo forti eſſe præditum, vt ne in dubijs rebus & bellis populum deſerat. Conſiderate igitur quid horum inſit in Demoſthene,iſti pater fuit.&c. quæ omnia eodem refellit, quo propoſuit ordine.

Ariſt.28.c.1. prior. & toto ferè 2. poſter. in c. 5. & 6. & in 7. lib. Topic. Plato in Theateto. Ariſt. 6.c.7. lib de Philoſo. & 4.c.1.Top. Cicer in Top. Ariſt.10.c.2. poſter. & 4. Top.1. Quinti.lib.5. cap.10.

CAP. XXIX.

De Definitione.

Definitio eſt, cùm explicatur quid res ſit, eáque viciſſim definito argui poteſt. Definitio eſt perfecta aut imperfecta: Illa, propriè definitio: hæc, deſcriptio dicitur. Definitio perfecta, eſt definitio conſtans è ſolis cauſſis eſſentiam conſtituentibus: quales cauſſæ genere & forma comprehenduntur. Atque hoc modo definitur homo, animal rationale: Nempè

Nempè genere (animal) intelligimus (vt dictum est) essentiam corpoream plenam vitæ & sensus, quæ materies hominis est, & pars formæ: cum qua si addas (rationale) totam formam hominis comprehendes, vitæ, sensus, rationis facultate. Itaque perfecta definitio nihil aliud est, quàm vniuersale symbolum, caussarum essentiam rei & naturam constituentium. Tales definitiones sunt artiũ: Grammatica est ars benè loquendi: Rhetorica benè dicendi: Dialectica benè disserendi: Arithmetica benè numerandi: Geometria benè metiendi.

Paulus ad Hebræos. 11. Præclarum dogma inculcat fide nimirum accipi iustitiam, & bona spiritualia in hac vita, & gloriam in futura. Nos inquit nõ sumus qui subducamus nos in perditionem, sed ad fidem pertinemus in acquisitionem animæ. Ad comprobandum autem quòd res ita se habeat, definitionem addit fidei absolutissimam. Fides est rerum quæ sperantur substantia, argumentum eorum quæ non videntur. Hanc fidei naturã exemplis subiectis explicat. *Definitio.*

Numerus par est, numerus quem in duas partes æquales diuidere possum⁹: Sed quaternarius est huiusmodi: Ergo est numerus par.

Febris est calor præter naturam, accensus in corde.

Ius ciuile est æquitas constituta ijs, qui eiusdem ciuitatis sunt, ad res suas obtinendas: Eius autem æquitatis vtilis est cognitio: Vtilis ergo iuris ciuilis scientia.

Fideiussor est qui pro alijs se obligat: Sempronius pro Titio se obligauit: Ergo Sempronius pro Titio fideiussor factus est.

CAP. XXX.

De Descriptione.

Arist. lib. 5. Topi. sub nomine proprij. Idem 4. c. 1. Topic. Cice. in Top. Plato in Theateto. Arist. 16. c. 3. Rhet. Cice. de Oratore 2. Quintil. 3. c. lib. 7.

Descriptio est definitio ex alijs etiam argumentis rem definiens: vt, Homo est animal mortale, capax disciplinæ. Hîc cum aliqua caussa miscetur communis itémque propria circunstantia. Atque hæc succincta breuitas non est in hac specie perpetua, sed sæpè illustriorem & magnificentiorem explicationem desiderat. Sic gloria describitur in Miloniana: Sed tamen ex omnibus præmijs virtutis si esset habenda ratio præmiorum, amplissimum esse præmium, gloriam: hanc vnã, quæ breuitatẽ vitæ posteritatis memoria consolaretur, quę efficeret vt absentes adessemus, mortui viueremus: hanc denique esse, cuius gradibus etiam homines in cælum videantur ascendere. Sic 4. Æneid. fama describitur,

Extemplò Libyæ magnas it fama per vrbes,
Fama malum, quo non aliud velocius vllum
Mobilitate viget, virésque acquirit eundo:
Parua metu primò, mox sese attollit in auras,
Ingrediturq; solo, & caput inter nubila cõdit.
Illam terra parens ira irritata Deorum
Extremã, vt perhibẽt, Cœo Enceladoq; sororẽ
Progenuit, pedibus celerem, & pernicibus alis:
Monstrum horrendum, ingens, qui quot sunt corpore plumæ,
Tot vigiles oculi subter (mirabile dictu)

Tot

Tot linguæ, totidē ora sonant, tot subrigit aures:
Noctè volat cæli medio, terræq́ per vmbram
Stridens, nec dulci declinat lumina somno:
Luce sedet custos, aut summi culmine tecti,
Turribus aut altis, & magnas territat vrbes:
Tam ficti prauique tenax, quàm nuntia veri.

Paulus ad Hebræos cap. 5. probat Christum esse verum pōtificem, adhibita perspicua quadam descriptione pontificis, in hunc modum. Pontifex est qui ex hominibus vocatur, & pro hominibus constituitur, in his quæ agenda sunt apud Deum: vt nimirùm offerat donaria & victimas pro peccatis, oretque tam pro se, quàm pro populo. *Descriptio.*

Quæ omnia cùm in Christum cōpetere demonstrasset, déq; singulis membris manifestè disseruisset, reliquit probatum quòd Christus sit verus pontifex.

Sic Rom. 13. docet obediendum esse magistratui, argumento à descriptione magistratus sumpto. Idem argumentum repetitur. 1. Petri. cap. 1. Eiusdem est generis quod ad Ephesios. 5. mariti iubentur diligere vxores, subijcit rationem ab exemplo Christi diligentis Ecclesiam, vbi mox attexitur elegans descriptio Ecclesiæ. Vide Heb. 13. de Descriptione doctoris Ecclesiæ, & ad Ro. cap. 8. de filiorum Dei & spei descriptionibus.

Circulus est figura plana, vna linea contenta, quam vocamus circumferentiam: ad quam ab vno aliquo ex punctis, quæ intra ipsam sunt, omnes lineæ rectæ procedentes, inter se sunt æquales: Sed figura cœli sphærica est huiusmodi: Ergo est circularis.

Testamentum est voluntatis nostræ iusta sententia, de eò quod quis post mortem suam fieri voluit, cum hęredis institutione.

Fundi possessor est, qui in agro, vel in ciuitate rem soli possidet, aut ex asse, aut ex parte: Sempronius fundum

nec ex asse, ne ex parte possidet : ergo non est fundi possessor.

Tales sunt descriptiones plantarum, animalium in Physicis : item fluminum, montiũ, vrbium in Geographis & historicis.

CAP. XXXI.

De Testimonio diuino.

Arist. 2. c. 1. Rhet. Cic. oratorio. 2. & partitionibus. Plato in Protagora & Gorgia. Cic. 1. de nat. deorum. Quintil. c. 5. lib. 1.

Exposito artificiali argumẽto, sequitur inartificiale. Argumentũ inartificiale est, quod non sua natura, sed assumpta artificialis alicuius argumenti vi arguit. Itaque cum exquisita rerum veritas subtilius exquiritur, perexiguam vim probationis habet: In ciuilibus autem & humanis rebus plerúmque hoc argumentum præcipuam fidem è moribus arguẽtis efficit, si prudentia, virtus & beneuolentia adfuerint. Id vno nomine testimonium dicitur : estque diuinum vel humanum. In diuinis testimonijs numerantur non solùm deorũ oracula, sed etiam responsa vatum & fatidicorum : quæ omnia 3. Catilin. adhibentur. Nam vt illa omittam (ait Orator) visas nocturno tempore ab occidẽte faces, ardorémque cæli, vt fulminum iactus, vt terræmotus, cæteráque, quæ ita multa nobis Consulibus facta sunt, vt hæc quæ nunc fiunt, canere Dij immortales viderentur. Deinde paulò pòst, Quo quidem tempore, cum Aruspices ex tota Hetruria conuenissent, cædes atque incendia & le-

Cicero in partitionibus.

& legum interitum, & bellum ciuile ac domesticum, & totius vrbis ac imperij occasum appropinquare dixerunt, nisi Dij immortales omni ratione placati, suo numine propè fata illa flexissent. Tandem cùm dixisset vt ex Aruspicum responsis ludi facti & iouis signũ maius factum conuersúmque ad orientem, tum ait, Illud verò, nónne ita præsens est, vt nutu iouis optimi maximi factum esse videatur? vt cum hodierno mane per forum meo iussu & coniurati & eorum indices in ædem Concordiæ ducerentur, eo ipso tempore signum statueretur, quo collocato atq; ad vos Senatúmque conuerso, omnia & Senatus & vos (quæ erant contra salutem omnium cogitata) illustrata & patefacta vidistis. Breuius est illud Tibulli,

Quod si vera canunt sacris oracula templis,
Hæc illi nostro nomine dicta refer:
Hoc tibi coniugium promittit Delius ipse
Fœlix, ac alium desine velle virum.

Si Abrahamus operibus iustificatus est, habet quod glorietur, sed non apud Deum. Verùm quid dicunt literæ? Credidit autem Abrahamus Deo, id quod ei iustitiæ ductum est.

Argumẽtum ab authoritate negatiuum.

Argumentationis negatiuæ illustræ est exemplum, Heb. 7. vbi euincere volens Apostolus Christum verè esse sacerdotem æternum secundum ordinem Melchisedech, ostendit Melchisedech gessisse Christi typum, vtpote in quo permulta sunt animaduersa, ob quæ cum Christo aptè conferri queat: Imprimis verò quòd Mel-

chisedech sit sine patre, sine matre, sine genere, neq; initium dierum neque vitæ finem habens. Quid auté hisce verbis vult, nisi quod sic ratiocinatur: Scriptura non exprimit quando natus sit Melchisedech, quem habuerit patrem, quamúe matrem, ex quo prodierit genere, quādo item mortuus fuerit: Igitur Melchisedech, nec initium habuit vitæ, neque patrem, neque matrem, neque vllum omninò genus. Sed dubium non est quin Melchisedech, more omnium aliorum hominum, fuerit de viro & muliere natus, ex certa familia, & tandem morte vitā finierit: Si diuina ordinatione & singulari iudicio, eius genus, parentes, natiuitas & mors tecta sunt silentio, quo videlicet omnibus partibus filio Dei Christo assimilaretur, nomine inquam, officio, seu functione & cæteris.

CAP. XXXII.

De Testimonio humano legis & sententia, & eorum vsu in omni disciplina.

Arist. 8. cap. ad Alexā. & 15. c. 1. Rhet.

Testimonium humanum est commune aut proprium: commune vt lex & illustris sententia: legis autem & non scriptæ & scriptæ testimonium est pro Milone, Est enim (iudices) non scripta, sed nata lex: quā non didicimus, accepim⁹ legimus: verùm ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressim⁹: ad quā nō docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus: vt si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, in tela, aut latronum aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis. Et ibidem, Quod si duodecim tabulę nocturnum furem quoquomodo, diurnum autem si se telo defenderit, interfici impune voluerunt,

runt, quis est, qui quoquomodo quis interfectus sit, puniendum putet, cùm videat aliquādo gladium nobis ad occidendum hominem, ab ipsis porrigi legibus?

Huc refer argumenta Prophetarum, Apostolorum & Euangelistarum cum à legis diuinæ authoritate, vel aliquid confirmant vel refutāt. Argumenta ab vtraque lege tam naturali quàm scripta, vide Rom. cap. 2. vbi Iudæi scripta lege vrgentur & Græci naturali. *Lex naturalis & scripta.*

Vt autem vera esse quæ dixi intelligatis, cape ipsam legem & recita, Quos municipia quædam coronant, earum coronarum præconia fiant in ipsis municipijs: nisi si quos ipse populus Atheniensis, aut Senatus, coronat, eos verò liceat in Theatro, bacchanalibus, proclamari. Audis Æschine legē perspicuè dicere, præterquam si quos Populus aut Senatus corona donauerit, hi vero in Theatro proclamentur? Quid igitur ô miser calumniaris? quid fabulas comminisceris? cur helleboro te non purgas ab istis delirijs?

Videntur ad tabulas pertinere quæ de Apostolo Act. 9. & 20. legimus, accepisse videlicet eum Epistolas & mandata scripta à principe sacerdotum, ad persequendos omnes doctrinæ Christi sectatores. Et 2. Thes. 3. iubet Apostolus notari per epistolas, si quis sermoni ipsius non obediret: & Lu. 1. Zacharias in tabellis scripsit, placere sibi vt filio nomen inderetur Ioannis. *Tabula.*

Iurisperiti tabularum nomine testamenta comprehendunt, instrumenta publica, priuata scripta, epistolas, apochas, antapochas, scripta autentica & non autētica, libros rationum, chyrographa & cætera quorum quantus vsus sit in Iuris scientia norunt qui eam vel à limine gustarunt.

Sententiæ illustris sunt prouerbia: vt, Pares cum paribus facillimè cōgregantur. Spar- *Eras. in Chiliad. Cic oratorio 2. & 4. ad Atticum.*

tam nactus es, hanc exorna.

Sententia diuina. Act.10.Galat.2.Ro.2.10.probatur, Deum omnibus, hominibus tam gentilibus quàm Iudęis, modo credēt in Christum, salutem ex æquo impendere, ab hac generali sentētia in Theologia, quæ extat. Deut.10. Apud Deum non est exceptio personarum, de his vide plura. Io.7. è Deuteronomio.1.& Ephes.6. Collos.3. Iacob.2. è Deuteronomio.10. & Math.6. ex Genes.9.

Nemo cum alterius detrimēto locupletari debet: Deceptis non decipientibus iura opitulantur.

Vsus sentētia humana in sacra pagina. Apostolus. 1.Cor.15. vetat Corinthios ne vtantur cōsortio Epicuręorū, qui voluptatib⁹ hîc perinde indulgebāt, atq; si vita melior nulla superesset. Probat id sentē tia Comici græci: Commercia praua corrumpunt bonos mores. Et ad Titum 1. Cretenses eo esse ingenio vt acrius obiurgari debeant, ostendit Apostolus pronuntiato Epimenidis Cretensis: Semper Creti mendaces. &c.

Agè cape Solonis sentētias illas, & recita: Vt sciatis etiam Soloni homines Demostheni similes fuisse inuisos:

Nostra quidem, fato Iouis, vrbs non occidet vnquam
Propitijsq; dijs salua manere potest.
Mœnia sed ciues stolidi, cupidiq; lucrorum
Ardua, subuerti per sua facta student:
Atque ducem populi, mala mens, elataq; corda
Accersunt pœnas & mala multa sibi. &c.

Auditis Athenienses de isto genere hominum Solon quid dicat, & de dijs: à quibus vrbem conseruari asserit? Ego verò semper hanc orationem veram esse puto, & opto, conseruari vrbem nostram diuinitus. Æschynes contrà Ctesiphon.

Prouerbia in sacra pagi. Ex loquutione prouerbiali sumpta ex Prouerbijs.26. Petrus.2. Epist. Cap.2. ostendit non licere agnitam veritatem, abnegatúmque in Baptisma mundum, redire ad pristina peccata. Illis inquit accidit quod prouerbio dici solet: Canis reuersus ad sui ipsius vomitum, & Sus lota reuersa ad volutabrum.

Sunt

Sunt item dicta sapiētum, Nosce teipsum. Ne quid nimis, Sponde, præsto est detrimentum. *Laërtius li. 1.*

Huc adferenda censui quæ à responsis prudētum ducuntur argumenta. Prætorum edictis, Constitutionibus, More, consuetudine, Rumore, opinione & fama.

Quod responsis prudentum statutum est, iudicaturis sacrosanctum esse debet: sed Pauli iurisprudentis respōso statutum est, ne quæ recta contrà iuris rationem tendant, ad consequentiam producantur: Ergo. &c. *Respōs. prud.*

Bonorum possessio edicto prætoris liberis emancipatis defertur: Ergo illis adimenda non est. *Edict. prat.*

Solemnes actionum formulæ cōstitutione Iustiniani sunt sublatæ: Ergo illis locus in iudicio esse non potest, nec esse debet. *Constit.*

Rom. 1. Congratulatur & confirmat eos Apostolus, cùm ait se gratias agere Deo pro omnibus illis, quod fides ipsorum toto mundo annuntietur. Idem ad Ephes. & Colloss. scribit. Luc. Cap. 4. frequenter legimus, longè lateque peruagatam de doctrina ex operibus Christi. *Rumor in sacra pag.*

Constans est fama Titium à Menio interfectum esse: Ergo Menius Titium interfecit. Nam non raró ea vera sunt, quæ populari sermone iactata fuerunt. *Rumor in iure.*

Quam populi sermo celebrat creber, irrita numquam
Fama cadit penitus: Dea quædam cùm sit & ipsa. *Fama apud Horat.*

Atque & te Æschine hi omnes dicunt ex legatione accepisse pecuniam. Itaque in te quoque illud profectò valet: Quam populi sermo. &c. Nam quod te longè plures quam illum criminantur, quid illud sit considera. Quare si fama verax est: contra vos etiam valet vulgaris ille rumor, cui fidem esse habēdam ait, quædam dea cùm sit & ipsa. Demosth. de falsa legatione.

Consuetudo est in hac vrbæ, vt causæ secundum partium affirmationem & negationem transigantur: Ergo etiam hæc causa in hac vrbe secundum solitum iudicij *Cōsuetudo in iure.*

morem discussa fuit. Sic cùm voluntas Testatoris peruestigatur, non raro animum ad morem & consuetudinem regionis in qua Testator commoratus est intendimus.

Plato in Charmide. *Plinius lib. 7. cap. 32.* *Cicero 1. Tusc. & 1. de legibus.* *Plato de Repub. 5.*

Proprium testimonium est, vt Platonis illud, 1. ad Quintum Fratrem. Atque ille quidem princeps ingenij & doctrinæ Plato, tum deniquè fore beatas Respublicas putauit, si aut docti & sapientes homines eas regere cœpissent, aut qui regerent, omne suum studium in dostrina ac sapientia collocassent. Talia sunt in poëtis. 6. Æneid.

Discite iustitiam moniti: & ne temnite diuos.

Sic Homerico illo versu,

Αἴας δ' ἐκ Σαλαμῖνος ἄγεν δυοκαίδεκα νῆας

Aiax autē ex Salamine duxit duodecim naues.

A testiū dignitate & multitudine probatur. 1. Cor. 15. certitudo resurrectionis Christi, simulque dogmata fidei nostræ fulcitur.

Testes in sacra pag.

Tradidi vobis, inquit, in primis quod & acceperam, quòd Christus mortuus fuerit, pro peccatis nostris secundum scripturas, & quòd sepultus sit, & resurrexit tertio die secundum scripturas, & quòd visus sit Cæphæ, deinde duodecim illis. Posteà visus est plusquàm quingentis fratribus simul, ex quibus plures manent in hunc vsque diem.

Et Actorum 1. Christus Apostolos atque Discipulos ait futuros sibi testes, tum doctrinę tum actionum, in Iudęa & Samaria, & vsque ad extrema terræ: Io. Euāgelista subinde repetit se testimonium ferre pro veritate.

Testes in medicina.

Hippocrates septimo mense nasci perfectum partum scripsit: Titius ex iustis nuptijs septimo mense natus est: Ergo

Ergo perfectus partus est, & legitimus filius.

Hęc vt à me vera dici constet, accerse mihi harum rerum testes. Testes. Testificātur Demostheni voce omnium hi: Callias Siniensis, Zeno Phayensis, Cleo Phalaręus, Demonicus Marathonius: Cùm populus aliquando designasset Æschynem patronum templi Delphici ad Amphictiones: nos in consessu iudicauimus Hyperidem digniorem esse, qui pro ciuitate orationem haberet: & missus est Hyperides. Demost. pro corona.

Megarenses victi ab Atheniensibus. Viuorum testimonia sunt, non tantum cùm quæritur de fundo aut cæde & eiusmodi negotio aliquo, sed etiam obligationis, confessionis, iurisiurandi testimonia sunt. Obligationis exemplum est 5. Phi. Audebo etiam obligare fidē meam (P. C.) vobis populóque Romano, quod profectò, cùm me nulla vis cogeret, facere nō auderem, pertimescerémque in re maximè periculosa opinionem temeritatis: Promitto, recipio, spondeo (P. C.) Cæsarem talem semper forè ciuem, qualis hodie sit, qualémque eum maximè velle & optare debemus: Pignus autem obligatio quædam est, vt apud Virg, Eclog. 3. Cicero 2. Tuscul. Quintil. lib. 5. cap. 11. Arist. 15. c. 1. Rhet. & Quintil. lib. 5. c. 11.

Vis ergo inter nos quid possit vterque, vicissim
Experiamur? ego hanc vitulā (ne fortè recuses,
Bis venit ad mulctam, binos alit vbere fœtus)
Depono: tu dic mecum quo pignore certes.

Confessio est libera vel expressa tormentis, quæ propriè quæstio dicitur. Liberæ cōfessionis exempla sunt apud Demosthenem. Arist. 17. c. ad Alexand.

Confeßio aduersarij. Quo ego alio maiore teste probem Æschine, te multa & non ferenda, in legatione designasse, quàm te teste contra teipsum? Demost. de falsa legat.

Hæc restare censeo, vobis vt ostendatur, Iudices, vos non modo religioni vestræ consulturos, si ea quæ modo dico decreueritis: sed istum ipsum etiam suopte iudicio Boæti nomen, non Mantithæi habere oportere. Nam cum ego iudicium hoc dictassem Boæto Mantiæ filio Thoricio, & statim respondit & calumniam iurauit: se esse Boætum cōfitens. Cùm itaque ipse Boætum iure se pronuntiauit: quid à vobis iuratis iudicibus, pronuntiari postulat? Demost. aduersus Boætum.

Coactæ cōfessionis exemplum extat apud Milonē, sed à Cicerone deridetur. Age verò, quæ erat aut qualis quæstio? Heus, vbi Ruscio? vbi Casca? Clodius insidias fecit Miloni? Fecit. Certa crux. Nullas fecit. Sperata libertas.

Quæstio in sacra pag. Quæstionum siue tormentorum fit quidem mentio actorum. 22. vbi Tribunus iubet Paulum captum induci in castra, & flagris mādat eum examinari, vt sciret propter quàm causam Iudæi sic ipsi acclamarent.

Argius argentarij seruus in tormentis se Alexandrum occidisse asseuerauit: Ergo occidit. Sed hîc locus non semper valet. Multi enim impatientia dolorum in tormentis ea confessi sunt, quæ numquam facere in animū induxerunt.

Huc etiam referri potest argumentum, quo vtimur, cum affirmationis nostræ approbationem & experientiam proponimus. 4. Ver. Ecquis Volcatio, si sua sponte venisset, vnam libellam dedisset? Veniat nunc, experiatur.

riatur: tecto recipiet nemo. Ter. Eunu. *Act. 3. Scena. 2.*

--- Fac periculum in literis,

Fac in palæstra, fac in musicis, quæ liberum

Scire æquum est adolescentem, solertem dabo.

3. Trist.

Quod magis vt liqueat, neue hoc ego fingere credar:

Ipse velim pœnas experiare meas.

Bono animo esto fili, inquit Christus, remittuntur tibi peccata tua. &c. Vtrum est facilius dicere remittuntur tibi peccata, an dicere surge & ambula? Vt autem sciatis quòd potestatem habet filius hominis in terra remittendi peccata, dixit paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Math. 9. Luc. 7. *Experientia.*

Æschines nunc alicubi dixit: Demosthenes mihi Alexandri hospitium exprobrat. Ego tibi hospitium Alexandri? vnde tibi id cõtigit? aut qua dignitate es receptus? Neque Philippi hospitem, neque Alexandri amicum ego te dixerim: non ita insanio: nisi etiam messores & alij mercenarij, amici & hospites appellandi sunt dominorum. Non ita sunt hæc. Vnde? multum certè abest: sed mercenarium ego te Philippi olim, & nunc Alexandri voco, & hi omnes. Quod si non credis: experire, interroga eos, atque adeò ego ipse tuo loco id faciam. Vtrum vobis, Athenienses, mercenarius Æschynes an hospes esse Alexandri videtur? Audis quid dicant? nunc ad alia me confero. Demost. pro Corona.

Iusiurandum etiam testimonium est quale est 6. Æneid.

Per superos, & si qua fides tellure sub ima est,

Inuitus, regina, tuo de littore cessi.

Testis mihi est Deus,cui seruio spiritu meo in Euangelio filij ipsius, quod indesinenter meminerim vestri. &c.Huc refer has loquẽdi formulas: Viuat Deus, Testis est mihi Deus, Deum inuoco testem in animam meam. Rom.1.9.

Tanta est iusiurandi in legibus & canonibus authoritas & efficacia,vt non satis de ea dici possit. Cùm Titius iureiurãdo se à causa liberauerit, meritò iureiurãdo illius standum est,& causa non retractari debet. Sed hîc nõ semper valet argumentum : Multi enim natura ad peierandum sunt propensi, multi mercede conducti, plerique etiam metu iusiurandum præstant.

Huc referuntur imprecationes quarum exemplum extat apud Demosthenem pro corona. Aduoco autem in conspectu vestro, Athenienses Deos Deásque vniuersos,qui terram atticam tenent: & Apollinem Pythium, qui est huic vrbi patrius,& hos omnes precor, vt si vera nunc apud vos dixero, & tunc statim pro cõcione dixi, cùm primùm vidi impurũ istum eam rem aggredi (cognoui enim statim, cognoui) vt mihi fœlicitatem tribuat & salutem. Sin ex odio aut propter priuatã simultatem, crimen isti falsum impingo: ne me vllius boni fructum capere patiantur.

Reciprocatio hîc obscurior est, vt quia testatum verum sit, testis sit etiam verax.

FINIS.



P. RAMI DIALECTICÆ LIBER SECVNDVS DE IVDICIO.

CAP. I.

Quid Iudicium.



DHVC prima Dialecticæ artis pars fuit in Inuentione : pars altera sequitur in iudicio : Iudicium est secunda pars Logicæ de disponendis argumentis ad bene iudicandum : Certa enim dispositionis regula vnumquodque iudicatur : vnde hæc pars Logicæ, & iudicium & dispositio pro eodem dicitur.

Arist. de interpratat. & Analy. omnibus. Quintil. lib. 3. c. 3. & lib. 6. cap. 6. Cicero in orator. 2. in perfecto oratore, in part.

CAP. II.

De Axiomatis affirmatione ac negatione.

Iudicium est axiomaticum vel dianoeticũ. Axioma est dispositio argumenti cum argumento, qua esse aliquid aut non esse iudicatur. Latinè enuntiatum, enuntiatio, pronuntiatum, pronuntiatio, effatum dicitur. Axioma est affirmatum aut negatum : affirmatum

Cice. in fato, in 1. Tus. & 4 Academ. Laërtius li. 2.

quando * vinculum eius affirmatur: negatum, quando negatur: Hinc nascitur Axiomatum contradictio, quando idem Axioma affirmatur & negatur.

*Hic per vinculum, intelligit verbum in simplicibus Axiomatis, & coniunctionis copulã in compositis. Vt in Aximate, Ignis vrit: vinculum est vrit, propriè tamen vinculum est duorum vel plurium.

CAP. III.

De Vero & Falso.

Cicero in fato & Arist. 8. c. de interprat. Idem 1. c. 1. priorum & 2. c. 1. poste.. Oratio Turni 10 Æneid. Arist. 26. cap. 1. poster. Idem de futuris contingentibus.

Axioma deinde est verum aut falsum: verum quando pronuntiat vti res est: falsum, contra. Axioma verum est contingens aut necessarium. Contingens, quãdo sic verum est, vt aliquando falsum esse possit; vt,

Audentes fortuna iuuat.

Fac enim id esse hodie verum, cras falsum esse poterit: itaque veritatis huius contingentis iudicium, opinio dicitur: quæ præteritorum & præsentium homini certa esse potest, futurorũ per naturam non admodum potest, quamuis Deo tempora omnia præsentia sint: Itaque Martialis Priscum meritò cauillatur:

Lib. 12.

Sæpe rogare soles, qualis sim Prisce, futurus,
Si fiam locuples, simq́ue repentè potens.
Quenquam posse putas mores narrare futuros?
Dic mihi, si fias tu leo, qualis eris?

Necessarium, quãdo semper verum est, nec falsum potest esse: & illud affirmatum appellatur κατὰ παντός, de omni. Impossibile, cõtra quod de nullo vnquam verum esse potest. Axiomata artium sic κατὰ παντὸς esse debent,

Quintil. 5. li. cap. 10. & ca. 8. lib. 3.

bent, ſed prætereà homogenea & catholica. Axioma homogeneum eſt, quãdo partes ſunt eſſentiales inter ſe: vt forma formato, ſubiectum proprio adiuncto, genus ſpeciei, id appellatur καθ' αὐτό per ſe. Axioma catholicũ eſt, quando conſequens ſemper verum eſt de antecedente, non ſolùm omni & per ſe, ſed etiam reciprocè: vt homo eſt animal rationale: numerus eſt par vel impar: Lupus eſt natus ad vlulãdum. Id appellatur καθόλου πρῶτον, vniuerſaliter primùm tres hæ ſunt leges documẽtorum artis propriorũ: Prima κατὰ παντός lex veritatis: Secunda καθ' αὐτό lex iuſtitiæ tertia καθόλου πρῶτον lex ſapientiæ dicatur. Atq; eiuſmodi axiomatum ita catholicorum iudicium, veriſſima & prima ſcientia eſt.

Ariſt. 4. cap. 1. poſt. & 7. 8. & 9. eiuſdem. Ariſt. 26. ca. 1. poſt 2. cap. eiuſdem & 4. cap. 6. Top. 3. cap. 1. poſter. & 18. cap. 2. poſter.

CAP. IIII.

De Axiomate ſimplici.

Atque hæc de communibus axiomatis affectionib', ſpecies ſequũtur. Axioma eſt ſimplex aut compoſitum. Simplex eſt, quod verbi vinculo continetur: Itaque affirmato vel negato verbo affirmatur vel negatur: vt Ignis vrit: Ignis eſt calidus: Ignis non eſt aqua: hic (ignis) eſt antecedens: Vrit, conſequens. Atque hic prima eſt inuẽtarum rerum diſpoſitio, cauſſæ cum effecto, vt in primo exemplo, ſubiecti cum adiuncto, vt in ſecũdò: diſ-

Ariſt. de interpræt. cap. 4

ſentanei cum diſſentaneo, vt in tertio: quomodo argumentum quodlibet enuntiari poteſt (exceptis plenis comparationibus & diſtributionibus) conſentanea quidẽ affirmando, diſſentanea negando.

Ariſt. 5. c. & 6. de interpr. & 1. c. 1. priorum.

Axioma ſimplex eſt generale aut ſpeciale. Generale quando commune conſequens attribuitur generaliter communi antecedenti, atque hîc cõtradictio non ſemper diuidit verum & falſum, ſed contingẽtium vtráque pars falſa poteſt eſſe, vt:

Omnis in vrbe locus Baijs prælucet amœnis.
Nullus in vrbe locus Baijs prælucet amœnis.

Item non contingentium, vt: Omne animal eſt rationale: Nullum animal eſt rationale.

Omne & non omne P. Ram. opponuntur, ſiue enim ſpeciale, ſiue proprium fuerit, nõ omne rectè dici poteſt: vt in hoc Axiomate: Fabella eſt bella: Bella attribntur non omni antecedenti. Ariſt 4. ca. 1. priorum.

Axioma ſpeciale eſt, quando conſequens ſpecialiter antecedenti attribuitur: & hic cõtradictio ſemper diuidit verũ à falſo: ſpeciale eſt particulare aut proprium. Particulare quãdo conſequens commune antecedenti particulariter attribuitur; Huic autem axiomati generaliter contradicitur.

Aliquid ignoſcendum eſt.
Nihil ignoſcendum eſt.
Aliqua clementia non eſt laudanda.
Omnis clementia eſt laudanda.

Axioma proprium eſt, quando conſequẽs antecedenti proprio attribuitur: vt Fabulla eſt bella, cuius negatio & contradictio eſt, Fabulla non eſt bella.

CAP.

CAP. V.

De Axiomate copulato.

Axioma compoſitum eſt, quod vinculo coniunctionis continetur: Itaque è coniunctione affirmata vel negata affirmatur vel negatur. Contradictioniſque pars vera eſt, pars falſa. Enuntiatum compoſitum eſt pro ſua coniunctione congregatiuum aut ſegregatiuum: congregatiuum enuntiat omnia cõſentanea affirmando, omnia etiam diſſentanea negando. Eſt verò copulatum aut connexum: Copulatum, cuius coniunctio eſt copulatiua, vt 1. Æneid.

Sub vinculo coniunctionis intellige etiã notã relationis & conſequentia.

Vnà Eurúſq; Notúſq; ruunt, creberque procellis
Africus---

Hic igitur negatio erit & contradictio.

Non vna Eurúſque Notúſque ruunt creberque procellis
Africus---

Verum enuntiati copulati iudicium pẽdet ex omnium partium veritate, falſum ſaltem ex vna parte falſa. Huic generi affine eſt enũtiatum relatæ qualitatis, cuius coniunctio eſt ipſa relatio. 3. Eclog.

Tale tuum carmen nobis diuine poëta,
Quale ſopor feſſis in gramine ---

hic copulatum iudicium eſt tanquam diceretur: Sopor eſt feſſis gratus, & ſic tuum carmẽ

nobis gratum est: cuius negatio,

Non tale tuum carmen nobis diuinæ poëta,
Quale sopor fessis in gramine. ---

CAP. VI.

De Axiomate connexo.

Cicero Academ. 4.

Axioma connexum est congregatiuum, cuius coniunctio est connexiua, Si, vt 2. Æneï.

Si miserum fortuna Sinonem
Finxit, vanũ etiã mendacémq; improba finget.

cuius negatio est,

Non si miserum fortuna Sinonem
Finxit, vanũ etiã mendacemq; improba finget.

Coniunctio etiam hæc interdum negatur apertius, negando consequentiam, vt pro Amer. Non continuò si me in sicariorum gregem contuli, sicarius sum. De Fato, Nec si omne enuntiatum verum est aut falsum, sequitur illicò caussas esse immutabiles. Affirmatio enim significat, si sit antecedens, etiam consequens esse. Negatio itaque & contradictio statuit, si sit antecedens, non ideò consequens esse. Quare cùm iudicabis connexum absolutè verum esse, necessarium quoque iudicabis & intelliges hanc necessitatem è necessaria partium connexione oriri, quæ ipsa potest esse vel in falsis partibus, vt, Si homo est leo, est etiam quadrupes, necessarium cõnexum est. At si connexio sit contingens & pro sua tantum probabilitate ponatur, iudicium

cium eius tātum opinio fuerit, vt Terēt. And. *Pamphile, si id facis, hodie postremū me vides.* Connexo axiomati affinis est ista consequentiæ relatio, vt, Cùm Tullius sit orator, est etiā peritus bene dicendi.

CAP. VII.

De Axiomate discreto.

Axioma segregatiuum est, cuius cōiunctio est segregatiua: ideóque argumenta dissentanea enuntiat: Enuntiatum segregatiuum est discretum aut disiunctum. Discretum, cuius coniunctio est discretiua. Itaque è dissentaneis præcipuè diuersa enuntiat. 5. Tusc. Quāquam sensu corporis iudicentur, ad animum referri tamen: cuius negatio & contradictio est. Non quanquam corporis sensu iudicentur, tamen ad animum referri: vel Quāquam sensu corporis iudicentur, non tamen ad animum referri. Nam, tamen, est hic coniunctio præcipua. Discretum enuntiatum iudicatur esse verum & legitimum, si partes non solùm veræ: sed etiam discretæ sint falsum vel ridiculum contrá.

CAP. VIII.

De Axiomate disiuncto.

Axioma disiunctum est axioma segregatiuum, cuius coniunctio est disiunctiua, vt 1. Georg.

Illic, vt perhibent, aut intempesta silet nox
Semper, & obtenta densantur noctè tenebræ,
Aut redit à nobis aurora, diémque reducit.

De Fat. Omnis enuntiatio est vera aut falsa. Hic significatur è disiunctis vnicũ verum esse. Negatio igitur erit & contradictio. Nõ omnis enuntiatio est vera aut falsa. Et cõtradictione significatur non necessariò alterutrum verum esse. Nam si disiunctio absolutè vera est, est etiam necessaria: partésq; disiunctæ sunt oppositæ sine vllo medio. Veruntamẽ quamuis absolutè vera disiunctio, necessaria quoque sit: tamen nihil necesse est partes separatim necessarias esse: vt,

Homo est bonus vel non est bonus, disiunctio necessaria est: & tamẽ, Homo est bonus, non est enuntiatio necessaria: Item, Homo nõ est bonus, non est enuntiatio necessaria: sed disiunctionis necessitas pendet è necessaria partium oppositione & disiunctione, non ex earum necessaria veritate. Disiunctio autem plerúnque est ex conditione, vt si quæratur, Vtrum Cleon venerit, an Socrates: quia ita pactum sit alterutrum tantum venturum esse. Itaque si disiunctio sit contingens, nõ est absolutè vera, & tantum opinabilis est: qualis est frequenter in hominum vsu, Ouid. in Epistola Leandri,

Aut mihi continget felix audacia saluo,
Aut mors solliciti finis amoris erit.

CAP.

CAP. IX.

De Syllogiſmo & eius partibus.

Atque eiuſmodi iudiciũ eſt axiòmaticum axiomatis per ſe manifeſti, ſequitur dianoeticum. Dianoia eſt cum aliud axioma ex alio deducitur: eſtque ſyllogiſmus aut methodus: ſyllogiſmus eſt dianoia, qua quæſtio cum argumento ita diſponitur, vt poſito antecedẽte neceſſariò concludatur. Nam cum axioma dubium ſit, quæſtio efficitur, & ad eius fidem tertio argumẽto opus eſt cum quæſtione collocato. Syllogiſmi antecedens partes duas habet, propoſitionem & aſſumptionem: *Ariſt. Analyſis prior eſt in componendo ſyllogiſmo. Ariſt. 25. c. 1. priorum.*

Propoſitio eſt prima pars antecedẽtis, qua tota quæſtio vel quæſtionis ſaltem conſequẽs cum argumẽto diſponitur: Aſſumptio eſt ſecunda pars antecedẽtis, quæ aſſumitur è propoſitione. Syllogiſmi autem pars conſequens eſt, quæ complectitur partes quæſtionis, eámque concludit: vnde complexio & concluſio dicitur: Si qua pars ſyllogiſmi defuerit, enthymema dicitur: ſi quid præter illas tres partes acceſſerit proſyllogiſmus. Partium etiam ordo ſæpè confunditur: attamen ſi qua dubitatio propterea fuerit, explenda, quæ deſunt: amputanda, quæ ſuperſunt, & pars quælibet in locum redigenda eſt. *Ariſt. 26. c. 1. priorũ & 27. c. 2. priorũ & 1. c. 8. Top. & 14. c. Elench.*

CAP. X.

De Syllogiſmo ſimplici, primò eiúſque contractione.

Syllogiſmus eſt ſimplex aut compoſitus: Simplex, vbi pars conſequens quæſtionis eſt in propoſitione: pars antecedens in aſſumptione: eſtq́ue affirmatus è partibus omnibus affirmatis, negatus è negata antecedentium partium altera cum complexione: generalis è propoſitione & aſſumptione generalib⁹: ſpecialis ex altera tantum generali: proprius ex vtraque propria. Simplicis ſyllogiſmi genera ſunt duo, Primum & ſecũdum: Primũ quãdo ex argumento antecedente in propoſitione vtlibet, in aſſumptione affirmata, complexio ſpecialis efficitur, vt in his exemplis:

AFFIRM. GENERAL.

Conſtantia eſt virtus
At eſt confidentia:
Quædam igitur confidentia eſt virtus.

NEG. GEN.

Audacia non eſt virtus
At eſt confidentia:
Quadam igitur confidentia non eſt virtus.

AFF. SPEC.

Sapiens eſt laudabilis,
At quidam eſt pauper.
Quidam igitur pauper eſt laudabilis.

NEG.

NEG. SPEC.

Stultus non est beatus,
At quidam est fortunatus:
Quidam igitur fortunatus non est beatus.

AFF. PROP.

Socrates est philosophus,
At est homo:
Quidam igitur homo est philosophus.

NEG. PROP.

Thersites non est philosophus,
At est homo:
Quidam igitur homo non est philosophus.

Verum pro iudicij claritate vsus cõtractione hîc ferè contentus est. Fit autem contractio quando argumentum pro exemplo ita subijcitur particulari quæstioni, vt vtrámque partem antecedens & assumptione affirmatum intelligatur,

Quædam confidentia est virtus, vt constantia,
Quædam confidentia nõ est virtus, vt audacia,

Hîc enim argumentum quæstionis vtramque partem antecedere intelligitur, tanquam esset expressum. Constãtiam esse virtutem & confidentiam: ideóque quandam confidentiam esse virtutem: item, Audaciam non esse virtutem: & tamen esse cõfidentiam, ideóque quandam confidentiam nõ esse virtutem. Sic vsus disserendi, magister syllogistici iudicij

contrahitur, nec aliter explicatur. Atque iſta expoſitio principium ſyllogiſmi partibus explicati ab Ariſtotele efficitur tanquam per ſe pleno ſyllogiſmi iudicio ſit clarior & illuſtrior.

CAP. XI.

De Syllogiſmo ſimplici ſecundo.

In ſyllogiſmo ſimplici ſecũdi generis propoſitio eſt generalis aut propria, & concluſio ſimilis antecedenti aut parti debiliori: Species duæ ſunt, prima vbi argumentum ſemper ſequitur, negatum in altera parte.

GEN. I.

Turbatus non bene vtitur ratione:
Sapiens bene vtitur ratione:
Sapiens igitur non eſt turbatus.

Hoc iudiciũ ita fit à Cic. 3. Tuſc. Et quemadmodum (ait) oculus conturbatus non eſt probè affectus ad ſuum munus fungendum: & reliquæ partes totumq; corpus à ſtatu cùm eſt motum, deeſt officio ſuo ac muneri: ſic conturbatus animus nõ eſt probè affectus ad exequendum munus ſuum. Munus autem animi eſt ratione vti: & ſapientis animus ita ſemper affectus eſt, vt ratione optimè vtatur: Nunquam igitur eſt perturbatus.

GEN. 2.

Res mortalis eſt compoſita:

Animus

Animus non est compositus:
Animus igitur non est mortalis.

Cic.1. Tusc. hoc syllogismo iudicat animum immortalem esse. In animi autem cognitione (inquit) dubitare non possumus, nisi forte in physicis plumbei sumus, quin nihil sit animis admixtum, nihil cōcretum, nihil copulatum, nihil coagmētatum, nihil duplex: Quod cùm ita sit, certè nec secerni, nec diuidi, nec discerpi, nec distrahi potest: nec interire igitur: Est enim interitus, quasi discessus & secretio ac diremptus earum partium, quæ ante interitū iunctione aliqua tenebantur.

SPE. I.

Liuidus non est magnanimus:
Maximus est magnanimus:
Maximus igitur non est liuidus.

Hoc iudicio Ouid. 3. de Pont. Eleg. 3. concludit:

Liuor, iners vitium, mores non exit in altos:
Vtque latens ima vipera serpit humo:
Mens tua sublimis supra genus eminet ipsum
Grandius ingenio nec tibi nomen inest.
Ergo alij noceant miseris, obtént que timeri,
Tinctáque mordaci spicula felle gerant:
At tua supplicibus domus est assueta iuuandis,
In quorum numero me precor esse velis.

SPE. 2.

Saltator est luxuriosus:

Muræna non eſt luxurioſus:
Muræna igitur non eſt ſaltator.

Cic pro Mur:Nemo enim ferè ſaltat ſobrius,niſi fortè inſanit : neque in ſolitudine,neq; in conuiuio moderato atque honeſto:Intempeſtiui conuiuij,amœni loci,multarũ deliciarũ comes eſt extrema ſaltatio: Tu mihi arripis id, quod neceſſe eſt omnium vitiorũ eſſe poſtremum : relinquis illa, quibus remotis hoc vitium omninò eſſe non poteſt: nullum turpe conuiuium,non amor,non commeſſatio,non libido,non ſumptus oſtenditur: & cùm ea nõ reperiantur, quæ voluptatis nomen habent, quæque vitioſa ſunt, in quo ipſam luxuriam reperire non potes, in eo te vmbram luxuriæ reperturum putas?Hoc iudicij modo Ouidius 1.Triſt. Elegia 1.tripliciter concludit, dum carminum ſuorum excuſationem exponit.

Carmina proueniunt animo deducta ſereno:
Nubila ſunt ſubitis tempora noſtra malis.
Carmina ſeceſſum ſcribentis & otia quærunt:
Me mare,me venti,me fera iactat hyems.
Carminibus metus omnis abeſt: ego perditus enſẽ
Hæſurum iugulo iam puto iámque meo.
Hæc quoq; quæ facio, iudex mirabitur æquus:
Scriptáque cum venia qualiacunque leget,

PRO. I.

Ageſilaus non eſt pictus ab Apelle:
Alexander eſt pictus ab Apelle:
Alexander igitur non eſt Ageſilaus.

PRO.

PRO. 2.

Cæſar oppreſſit patriam:
Tullius non oppreſſit patriam:
Tullius igitur non eſt Cæſar.

CAP. XII.

De ſecunda ſpecie ſyllogiſmi ſimplicis explicati.

Secunda ſpecies ſyllogiſmi ſecundi generis eſt, quando argumentum antecedit in propoſitione, ſequitur affirmatũ in aſſumptione.

AFF. GEN.

Omne iuſtum eſt vtile:
Omne honeſtum eſt iuſtum:
Omne igitur honeſtum eſt vtile.

Quod Cice. 2. Offic. ita concludit: Summa quidem authoritate philoſophi, ſeuerè ſanè atque honeſtè hæc tria genera confuſa, cogitatione diſtinguunt: Quidquid enim iuſtum ſit, id etiam vtile eſſe cenſent: Itémque, quod honeſtum, idem iuſtum: Ex quo efficitur, vt quidquid honeſtum ſit, idem ſit vtile.

NEG. GEN.

Timidus non eſt liber:
Auarus eſt timidus:
Auarus itaque non eſt liber.

Hoc ita concluditur & iudicatur ab Horatio 1. Epiſt.

Quo melior ſeruo, quo liberior ſit auarus,

In triuijs fixum cum se demittit ob assem,
Nō video: nam qui cupiet, metuet quoq; porrò
Qui metuens viuit, liber mihi no erit vnquam.

Sic Terent. in Eunucho concludit & iudicat:

Consilij expers, consilio regi non potest:
Amor est consilij expers:
Consilio itaq; regi non potest.

Syllogismus his verbis sequitur,

Here, quæ res in se neq; consilium neq; modum
Habet vllum, eam consilio regere non potes:
In amore omnia hæc insunt vitia: iniuriæ,
Suspiciones, inimicitiæ, induciæ,
Bellum, pax rursum: incerta hæc si tu postules
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quam si des operam, vt cum ratione insanias.

AFF. SPE.

Consules virtute facti, studiosè Remp. tueri debent:
Cicero est virtute factus Consul:
Cicero igitur Rempub. studiosè tueri debet.

Sic orator diligentiam suam Agra. 2. concludit & iudicat: Nam cùm omnium Consulum, ait, grauis in Republica custodienda, cura ac diligentia debet esse, tum eorum maximè qui nō in incunabulis, sed in campo sunt Consules facti: Nulli populo Romano pro me maiores nostri spoponderunt, mihi creditum est: à me petere, quod debeo me ipsum appellare debetis. Quemadmodum cùm petebam, nulli me authores generis mei vobis cōmenda-

darũt: ſic ſi quid deliquero, nullæ ſunt imagines, quæ me à vobis deprecẽtur. Quare modò vt vita ſuppetat (quamquam ego ſum is, qui eam poſſim ab iſtorum ſcelere inſidijſque defendere) polliceor hoc vobis, Quirites, bona fide, Rempub. vigilanti homini, non timido, diligenti, non ignauo commiſiſtis.

Quod optatum redierit, gratum eſt:
Leſbia Catullo optata redijt:
Grata igitur eſt.

Catullus ſic concludit:

Si quicquã cupidoq; optantiq; obtigit vnquã &
Inſperanti, hoc eſt gratum animo propriè:
Quare hoc eſt gratũ nobis, quoq; charius auro
Quòd te reſtituis Leſbia, mî cupido.
Reſtituis cupido, atque inſperanti ipſa refers te
Nobis. ó lucem candidiore nota?
Quis me vno viuit felicior? aut magis hac quid
Optandum vita, dicere quis poterit?

NEG. SPE.

Deceptor amantis puellæ non eſt laudandus:
Demophoon eſt deceptor amantis puellæ, vt Phyllidis:
Demophoon igitur non eſt laudandus.

Phyllis apud Ouidium ita iudicat Demophoontem laudandum non eſſe:

Fallere credentem non eſt operoſa puellam
Gloria: ſimplicitas digna fauore fuit:
Sum decepta tuis & amans & fœmina verbis,
Dij faciant laudis ſumma ſit iſta tuæ.

AFF. PRO.

Octauius est hæres Cæsaris:
Ego sum Octauius:
Sum igitur hæres Cæsaris.

NEG. PRO.

Antonius non est filius Cæsaris:
Tu es Antonius:
Non es igitur filius Cæsaris.

CAP. XIII.

De Syllogismo connexo primo.

Adhuc syllogismus simplex fuit: syllogismus cōpositus est syllogismus, vbi tota quæstio est pars altera propositionis affirmatæ & compositæ: argumentū est pars reliqua. Tollere autem in composito syllogismo, est specialem contradictionem ponere. Syllogismus compositus est connexus aut disiunctus. Syllogismus connexus, est syllogismus compositus propositionis connexæ, estque duorum modorum: primus modus syllogismi connexi est, qui assumit antecedens, & consequens concludit. Quomodo Cicero iudicat & concludit 2. de Diui.

Si dij sunt, diuinatio est:
Sunt autem dij:
Diuinatio est igitur.

3. Offic. Atque si etiam hoc natura prẹscribit, vt homo homini, quicunq; sit, ob eam ipsam caus-

caussam, quod is homo sit, consultum velit, necesse est secundum eãdem naturam, omnium vtilitatem esse communem: Quod si ita est, vna continemur omnes & eadem lege naturæ: Idque ipsum si ita est, certè violare alterum lege naturæ prohibemur: verum autem primum, verum igitur & extremum.

Sic Æneid. 4. Dido iudicat Æneæ remanẽdum esse:

Méne fugis? per ego has lachrymas dextrámque tuam, te,
Quando aliud mihi iam miseræ nil ipsa reliqui,
Per connubia nostra, per incœptos hymenæos,
Si benè quid de te merui, fuit aut tibi quicquam
Dulce meum: miserere domus labentis, & istam
Oro, si quis adhuc precibus locus, exue mentem:
Te propter Libycæ gentes Nomadumq; tyranni
Odere, infensi Tyrij: te propter eundem
Extinctus pudor: &, qua sola sydera adibam,
Fama prior, cui me moribundam deseris hospes?

Frequenter hîc non assumitur idem, sed maius, vt 1. Catil. Si te parentes timerent, atq; odissent tui, neque illos vlla ratione placare posses, vt opinor, ab eorum oculis aliquò cõcederes: nunc te patria (quæ communis est omnium nostrûm parens) odit ac metuit, & iamdiu nihil de te iudicat, nisi de parricidio suo cogitare: huius tu neque authoritatem verebere, neque iudicium sequere? neque vim pertimesces? Concludendi modus hic idem

eſt, quãdo propoſitio eſt relata temporis, quo genere nympha Oenone, apud Ouidium cõcludit errorem ſtultitiæ ſuæ:

Cùm Paris Oenone poterit ſpirare relicta,
Ad fontem Xanthi verſa recurret aqua:
Xanthe retrò propera, verſæq́; recurrite lymphæ:
Suſtinet Oenonem deſeruiſſe Paris.

CAP. XIIII.

De Syllog. Con. 2.

Secundus modus connexi tollit conſequẽs, vt tollat antecedens.

Si vlli rei ſapiens aſſentietur vſquam, aliquando etiam opinabitur:
Nunquam autem opinabitur:
Nulli igitur rei aſſentietur.

Eodem ſyllogiſmo Ouidius 2. Triſt. ſtultitiam ſuam indicat:

Si ſaperem, doctas odiſſem iure ſorores,
Numina cultori pernicioſa ſuo:
At nunc (tanta meo comes eſt inſania morbo)
Saxa memor refero rurſus ad icta pedem.

Hæ duæ ſyllogiſmi ſpecies ſunt omnium vſitatiſſimæ.

CAP. XV.

De Syllogiſmo diſiuncto primo.

Syllogiſmus diſiunctus, eſt ſyllogiſmus cõpoſitus propoſitionis diſiunctæ: modi duo ſunt; Primus tollit vnũ, & reliquũ cõcludit, vt:

Aut

Aut dies est aut nox est:
At dies non est:
Nox igitur est.

Ciceronis pro Cluentio iudicium tale est: Sed cùm esset hæc illi proposita conditio, vt aut iustè pièque accusaret, aut acerbè indignèq; moreretur, accusare quoquo modo posset, quam illo modo mori maluit: Disiunctio clarior sic erit.

Aut accusandum aut moriendum:
Non moriendum:
Accusandum igitur.

Sic idem 2. Phil. ratiocinatur. Nunquam ne intelliges tibi statuendum esse, vtrum illi qui istam rem gesserunt, homicidæ sint, an vindices libertatis? Attende enim paulisper, cogitationemq; sobrij hominis ad punctum temporis suscipe: & ego qui sum illorũ, vt ipse fateor, familiaris, vt à te arguor, socius, nego quicquam esse medium: confiteor illos, nisi liberatores populi Romani conseruatoresque Reipublicæ sint, plus quàm sicarios, pl⁹ quàm homicidas, plus quàm parricidas esse: si quidem est atrocius patriæ parentem, quàm suum occidere. Tu homo sapiens & cõsiderate, quid dicis? Si parricidæ, cur honoris caussa à te sunt & in hoc ordine, & apud populũ Rom. semper appellati? cur M. Brutus, te referente, legibus est solutus, si ab vrbe plus quàm decem dies abfuisset? cur ludi Apollinares

incredibili M. Bruti honore celebrati ? cur prouinciæ Cassio & Bruto datæ? cur Quæstores additi ? cur Legatorum numerus auctus ? Atque hæc acta per te: Non igitur homicidæ: Sequitur vt liberatores tuo iudicio sint, quandoquidem tertium nihil potest esse. Si partes disiunctæ propositionis sint duabus plures, iudicandi concludendiq; ars erit eadem. Sic Cicero iudicat Rabirium cum Cōsulibus esse oportere : Atqui videmus (ait) hæc in rerum natura tria fuisse, vt aut cum Saturnino esset, aut cum bonis, aut lateret. Latere autē, mortis erat instar turpissimæ: cum Saturnino esse, furoris & sceleris : virtus & honestas & pudor cum Coss. esse cogebat.

CAP. XVI.

De Syllog. Dis. 2.

Disiunctus secundus è propositione partibus omnibus affirmata assumit vnum, & reliquum tollit, vt:

Dies est, aut nox est:
At dies est:
Nox igitur non est.

Sic Iuno cum Ioue de Turno concludit, 10. Æneid.

--- Quid si quod voce grauaris,
Mēte dares atque hæc Turno rata vita maneret
Nunc manet insontem grauis exitus, aut ego veri

Vana

Vana feror: quod vt ô potius formidine falſa
Ludar, & in melius tua, qui potes, orſa reflectas.

Eiuſmodi ſyllogiſmus efficitur è propoſitione copulata negata, quæ negata cõplexio dicitur: quæque diſiunctionis affirmatæ vim obtinet.

Non & dies eſt, & nox eſt:
At dies eſt:
Non igitur nox eſt.

CAP, XVII.

De Methodo ſecundum Ariſtotelem vnica.

Methodus eſt dianoia variorum axiomatũ homogeneorũ pro naturæ ſuæ claritate præpoſitorum, vnde omnium inter ſe conuenientia iudicatur, memoriáque comprehenditur. Atqui vt ſpectatur in axiomate veritas & falſitas, in ſyllogiſmo conſequentia & inconſequentia, ſic in methodo conſideratur vt per ſe clarius præcedat, obſcurius ſequatur, omninóque ordo & confuſio iudicatur. Sic diſponetur ex homogeneis axiomatis primo loco abſoluta notione primum, ſecundo ſecundũ, tertio tertium, & ita deinceps: ideóq; methodus ab vniuerſalibus ad ſingularia perpetuò progreditur. Hac enim ſola & vnica via proceditur ab antecedentibus omninò & abſolutè notioribus ad cõſequentia ignota declarandum, eámque ſolam methodum Ariſtoteles docuit.

CAP. XVIII.

De prima Methodi illustratione per exempla artium.

Sed methodi vnitatem exempla doctrinarum & artium præcipuè demonstrant præcipuéque vēdicant, quibus quamuis omnes regulæ generales ſint & vniuerſales, tamen earū gradus diſtinguntur: quantóque vnaquæque generalior erit, tanto magis procedet. Generaliſſima loco & ordine prima erit, quia lumine & notitia prima eſt: ſubalternæ conſequētur, quia claritate ſunt proximæ: atque ex his natura notiores præponētur, minus notæ ſubſtituentur, tandémque ſpecialiſſimæ conſtituentur. Definitio itáque generaliſſima prima erit: diſtributio ſequetur, quę ſi multiplex fuerit, prçcedet in partes integras partitio, ſequetur diuiſio in ſpecies: partéſque ipſę & ſpecies eodem ordine ſunt rurſus tractandæ, ac definiendæ quo diſtributæ fuerint: & tranſitionū vinculis ſi lōgior inter eas interſit explicatio, colligandæ ſunt: Id enim auditorem reficit ac recreat: atque vt res familiarius accipiatur, exemplo quoque familiari nobis vtendū eſt. Omnes definitiones, diſtributiones, regulæ Grammaticæ repertæ ſint, atque vnaquæque ſigillatim iudicata: omniáque hæc documēta varijs tabellis inſcripta, vna confundantur & cōturbentur in hydria aliqua, vt in Ollæ ludo fieri ſolet: hîc ſi quæras, quæ pars Dialecticæ

te

te doceat has regulas ita cōfusas disponere & in ordinem redigere: primò locis inuentionis nihil opus est, cùm sint omnia reperta: neque primo axiomatis iudicio, cùm vnumquódq; axioma probatum & ęstimatum sit: neque secūdo syllogismi iudicio opus, cùm sint omnes singularū rerum controuersiæ his de rebus disceptatę & conclusæ, sola methodus superest. Dialecticus igitur lumine methodi artificiosę, seliget in hac vrna definitionem Grammaticæ (id enim est generalissimum) & primo loco statuet. Grammatica est doctrina benè loquendi: tum requiret in eadem vrna partitionem Grammaticæ, & collocabit secundo loco. Partes Grammaticæ sunt duæ: Etymologia & Syntaxis. Deinceps in eodem vase definitionem Etymologiæ de vocibus separabit, & tertio gradu antecedentibus adiunget: tum vocis partes in literis & syllabis, speciésque in vocibus numeri & sine numero requiret, exituúmque transitiones suis locis collocabit. Atque ita omnium Etymologiæ partium definitiones, distributiones, colligationes, exempla denique specialissima in singulis disponet. Idémque in Syntaxi faciet. Hanc viam omnes artes sibi proposuerunt.

Illustratio Methodi ex sacra pagina & Analyseos Exemplum elegans.

QVamuis Prophetæ, Apostoli, & Euangelistę vbíque hanc methodum obseruare videntur, vt nemini

dubium ſit, quin diuinitus ad nos miſſa, potius quàm ab vllo excogitata aut inuẽta ſit, adducam tamen vnam illã diſputationem de mortuorum reſurrectione quam Apoſtolus inſtituit. 1.Cor.15.vt vel cæco pateat quã turpiter hallucinentur, qui ſatis ſe officio functos arbitrantur,dummodo quicquid in buccam venerit effutiant.

[Porrò vobis declaro fratres, Euangelium quod Euangelizaui vobis, quod & accepiſtis, in quo etiam ſtatis. &c.] Hæc eſt ſumma vel generalis propoſitio diſputationis futuræ. Cõtinet autem duo capita, An ſit reſurrectio, Deinde quis modus reſurrectionis. De priori mẽbro primum agit:[Tradidi vobis excitatum fuiſſe Chriſtum tertio die ſecundum ſcripturas:& viſum fuiſſe Cæphæ.&c.] Et paulò poſt: [Quòd ſi Chriſtus prædicatur ex mortuis excitatus eſſe, quomodo dicunt quidam inter vos non eſſe reſurrectionem mortuorum]? Hîc habes ad primum caput confirmandum, primum argumẽtum: Chriſtus reſurrexit: Ergo eſt reſurrectio mortuorum. Antecedens confirmat duobus argumentis, Prius eſt ab authoritate ſcripturarum: poſterius à teſtium congerie.

Prophetarum oracula Chriſtum reſurrecturum pronuntiant: Ergo reſurrexit Chriſtus.

Apparuit poſt mortem Cæphæ.&c. ergo reſurrexit.

ij. Sequitur ſi reſurrectio mortuorũ nõ eſt, Chriſtus quoque nõ eſt excitatus & quæ ſequuntur in.20. verſum ſecundum argumentum conficiunt.

1 Si non eſt reſurrectio mortuorum: Ergo nec Chriſtus reſurrexit.

2 Si Chriſtus non reſurrexit: Ergo inanis eſt noſtra prædicatio,& ſumus falſi teſtes,falſi Apoſtoli.

3 Si inanis noſtra prædicatio, & ſumus falſi teſtes: Ergo inanis eſt etiam veſtra fides.

4 Si inanis eſt veſtra fides: Ergo non eſtis fide iuſtificati,neque remiſſionem peccatorum conſequuti.

5 Si non eſtis fide remiſſionẽ peccatorũ cõſequuti: Ergo qui eiuſmodi fide in Chriſto mortui ſunt,perierũt.

6 Si

6 Si autem tales perierunt: Ergo fides in Christum prodest tantum in hac vita.

7 Si denique tantum valet fides in Christum in hac vita: Ergo sumus omnium miserrimi, qui propter hanc fidem omni tempore in hac vita affligimur.

Sed hæc omnia sunt admodum absurda: Igitur absurdum quoq; est dicere nõ esse resurrectionem mortuorũ.

iij. Sequitur primi capitis tertium argumentum à pari: [Nũc autem Christus primitiæ eorum qui obdormierunt factus est. &c.] quasi diceret:

Sicut se habent primitiæ frugum ad fruges reliquas, ita se habet Christus ad reliquos homines:

Atque cum primitiæ frugum sanctificantur, intelliguntur pariter sanctificatæ fruges reliquæ:

Igitur quandoquidem resurrexit Christus, par est intelligantur etiam cæteri homines resurrecturi.

Sed ne quis diceret argumentum ab exemplo vno nõ inferre conclusionem generalem, illud probat ratione assumpta à contrarijs per comparationem.

Si per Adam omnes moriuntur:
Quidni per Christum omnes viuificentur vt resurgant?

Atque vt hoc etiam de impijs intelligatur ait omnes resurrecturos, licet quidam ordo seruetur, vt post Christum qui Christi sunt resurgant ad æternam gloriam, alij ad sustinenda æterna supplicia.

iiij. [Deinde erit finis. &c.] Hic quartum infert argumentum.

Nisi resurgant mortui, nec pater summus rex, nec Christus omnium Dominus haberi potest. Nec enim domita esset Satanæ & Mortis potestas, nec plena Dei in filio suo, & filij ipsius in suis membris gloria:

Sed ista omnia absurda: Ergo absurdum est dicere quod non sit resurrectio mortuorum.

v. [Alioqui quid faciant qui baptizantur. &c.] Quintum argumentum à fine baptismi.

Permulti quum iam de vita periclitãtur, & pro mor-

tuis ob morbi magnitudinem habentur, baptiſmum ſibi impendi poſtulant:

Sed abs re id facerent, ſi non haberent ſpem reſurrectionis futuræ ac vitæ melioris:

Igitur confitẽdum eſt quod ſit reſurrectio mortuorũ.

vj. [Et cur nos periclitamur.&c.] Hic habes ſextum argumentum à tolerantia periculorum.

Numquam ſane pij tam fortiter ferrent extrema pericula, niſi fidem haberent certam de reſurrectione mortuorum, & fœliciorem poſt has erumnas conditionem.

Pios autem fortiter tolerare pericula, comprobat ſuo ipſius exemplo.

vij. [Edamus & bibamus.&c.] Septimum argumentum ab abſurdo.

Si póſtquã maxima ſuſtinuimus pericula, non debemus reſurrectionem & vitam meliorem ſperare, tum meritò dicemus cum Epicuræis: Edamus & bibamus, cras enim morimur:

Sed nemo neſcit impium eſſe ita ſentire & loqui:

Igitur impium quoque eſt opinari, mortuos non reſurrecturos.

Tandem annectit paucula ad deterrendos omnes, ne eiuſmodi ſermonibus impiorum aurem præbeant, ratione addita ex eleganti ſententia Menandri Comici, ſimúlque tractationis primi capitis concluſionem infert.

[At dicet aliquis.&c.] Hic incipit ſecundi membri tractatio. Summa rei ſeu propoſitio, per interrogationẽ proponitur his verbis: quomodo ſuſcitantur mortui? quali autem corpore prodeunt?

[Demens quod tu. &c.] Primum argumentum de modo reſurrectionis, vbi corporum reſurgentium dignitas aſtruitur.

1 Quemadmodum granum ſiue ſemen quod proijcitur in terram, planè ibi computreſcit; & emoritur, poſteà tamen prodit ex eo ſic putrefacto ſpecioſa herba ſeu planta: ita corpora hominum, quamuis per mortem abſu-

absumantur, & computrescant, posteà tamen pristinam formam atque eam digniorem recipiunt.

II [Et quod seminas.&c.]

Secundum argumentum à simili vbi corporum cadentium vilitas, & resurgentium dignitas attingitur, & specierum in resurrectione distinctio annotatur.

Quemadmodum cùm seminas tu nihil aliud proijcis in terram quàm exiguum & vile granum, posteà verò erumpit excellens planta, & hæc eiusdem speciei cuius anteà fuerant plantæ, quarum iactum est semen: Ita corpus nostrum vile & abiectum sepelitur, corrumpitùrque, posteà verò erumpit nobile corpus, idque eiusdem planè speciei siue substantiæ, cuius & prius corpus fuerat.

III [Sed Deus ei dat.&c.] Tertium argumentum à pari.

Si Deus pro suo arbitrio & potentia dat vnicuique semini corpus conueniens: Perèque facile est ei resuscitare mortuorum corpora & excellentiora reddere.

IIII [Non omnis caro.&c.] Quartũ argumentũ de diuersis qualitatibus corporum cadentium & resurgentium vbi triplex attingitur similitudo.

1 Omnis caro est caro, quod ad substantiã attinet: sed si spectemus qualitates, alia ab alia distinguitur.

Sic etiam corpora nunc viuentium, & olim resurgẽtium, sunt corpora & caro eadem: Verum qualitates tũc in illis aliæ erunt quàm nunc sunt.

2 [Et sunt corpora cœlestia.&c.] Secunda similitudo.

Vt aliæ sunt corporum cœlestium qualitates, aliæ terrestrium:

Sic etiam aliæ sunt viuentium, aliæ resurgentium:

3 [Alia, gloria solis.&c.] Tertia similitudo.

Sol, Luna, Stellæ, eadem sunt substantia, verum qualitatibus differunt: Ita corporum quæ circumferimus, & eorum quæ erunt à resurrectione aliæ atque aliæ sunt qualitates.

Tandem has qualitates nouas infert, & antiquis opponit: Corruptionem, Incorruptibilitati: Ignominiam, Gloriæ: Infirmitatem, Potentiæ: Esse animale, & Esse spirituale.

Deinde quum docuisset aliquod esse corpus animale Adamum nimirum & eius progeniem, & aliquod spirituale Christum videlicet & qui in eum credunt: rationes addit, cur Deus abinitio non dederit corpus spirituale. Ducitur autẽ ab ordine tẽporis: primus homo de terra terrenus: secundus homo ipse Dominus è cœlo. Qualis terrenus ille, tales & hi qui terreni sunt: Et qualis ille cœlestis, tales & hi qui cœlestes sunt. Et quemadmodum gestauimus imaginem terreni, ita gestabimus & imaginem cœlestis.

[Hoc autem dico.&c] A qualitate corporum in hac vita docet corpora mutari oportere. Bona quæ post hãc vitam pijs dabuntur, sunt spiritualia, incorruptibilia & æterna: Ergo oportet corpora nostra animalia vt illis fruantur, similiter spiritualia, incorruptibilia & æterna fieri.

Sed ne quis diceret, si corpus animale non est idonæum ad obtinendam gloriam, quid de ijs statuetur, qui quum Dominus venerit adhuc erunt in viuis? Statim per præoccupationem respõdet: [Ecce mysterium.&c.] & Omnes mutabimur.&c. Attexuntur rationes cur ita fieri necesse est.

1 [Oportet enim.&c.] prima ratio:

Terrena non erunt capacia: spiritualium bonorum: Ergo oportet vt sint spiritualia.

2 [Cum autem hoc.&c.] Secunda ratio:

Oportet Scripturas impleri, quæ dicunt, Absorpta est mors.&c. atque hoc fieri non potest nisi mutentur corpora: Ergo mutari oportet.

3 [Stimulus verò mortis est peccatum.&c.] Tertia ratio:

A resurrectione mortuorum, neque peccatum, ne-

que

que mors, neque infernus, amplius aduersus homines præualebunt:

Sed hoc fieri non potest, nisi terrena facta fuerint spiritualia: Ergo necesse est eiusmodi mutationem in omnibus corporibus fieri.

Tandem amplificat liberationem à morte, à causa efficiente videlicet Christo, & breuem conclusionem totius disputationis infert. Itaque mei fratres. &c.

Hic habes, Christiane Lector, inuentionis Topicę & iudicij triplicis diuinum exemplum. Omnia necessariò omninóq; vera: Omnia homogenia & cognata. Omnia prima & propria. Generalia præcedunt, specialia sequuntur. Nihil ambiguum aut falsum: nihil heterogenium, aut extra propositum: Nulla hîc tantologia & inanis garrulitas: nihil denique quod non sit omnibus ecclesiæ ministris amplectendum & imitandum.

Illustratio methodi in naturali Philosophia, Mathematica, & Medicina.

ARISTOTELES res naturales expositurus, ab ipsis rerum principijs statim orditur: De quibus tãquam generalissimis agit libris Phisicorũ. Ex principijs oriuntur corpora: quorum alia sunt simplicia, cælum & quatuor elementa: alia composita ex ipsis elementis. De cælo agit duobus prioribus de cælo libris: in principio tertij fit transitio ad quatuor elementa. De compositis disputaturus generalia primo loco ponit. Nam quod omnia composita sint genita & corrumpantur: de ortu rerum & interitu disputationem instituit: Compositorum alia sunt imperfectè mista, alia perfectè. De imperfectè mistis agit libris Metæorum, & ijs qui metallorum naturas nobis complectuntur. Perfectè mistorum alia sunt animata, alia inanimata. Quæ animatis communia sunt primo tractantur: Hinc disputatio de anima, & eius facultatibus libris de animo. Animatorum, alia

ſunt animalia, alia plantæ: de illis agit ijs quos de animalium hiſtorijs inſcripſit: de generatione animalium: de partibus animalium: de motibus: de ſomno: de vigilia, &c. De hiſce agit libris de ſtirpibus & de plantis, ſingula definitionibus, diuiſionibus & tranſitionibus illuſtrando, & inuentionis Topicæ vi, atque iudicij ſapientia demonſtrando.

Omnis quoque ſcientia Mathematica hanc naturalem ſequitur methodum. Quæcunque enim ea ſit, vel verſatur in principiorum explicatione, quæ ſine vlla demonſtratione recipit: vel in doctrina propoſitionũ earum, quæ ex ipſis demanant principijs, & per ea demonſtrantur, Generalia præcedunt, ſpecialia ſequuntur.

Nam principia ipſa, quæ per ſe manifeſta & ſimplicia ſunt, nulla adhibita demonſtratione primò explicantur loco: ſubſequuntur propoſitiones demonſtratione indigentes, & ex ipſis demanantes principijs. Principia definitionibus & diuiſionibus illuſtrantur: ad propoſitiones declarandas omnes modos omniáque genera ſyllogiſmorum adhibent. Medici denique (ne in re tam manifeſta tempus teram) primùm medicinam definiunt: deinde in quinque membra partiuntur. Membra ſingula eorúmque membrorum particulas minimas definitionibus, diuiſionibus cæteriſque Topicis prout methodi ratio poſtulat perſequûtur, & tranſitionum vinculis membra cum membris copulant atque connectunt.

Illuſtratio methodi in iure Ciuili.

Methodus Inſtitut. Imp.

IVSTINIANVS primùm quid ſit ius definit. Eſt autem ius inquit, ars æqui & boni. Deinde in priuatum & publicum diuidit. Priuatum definit quod ad ſingulorum vtilitatem pertinet: & ſtatim in naturale, gentium & ciuile diuidit. Naturale & gentium ſuis definitionibus perſequitur: tandem ad ciuile accedit. Definitio præcedit: ſequitur partitio, in ſcriptum & non ſcriptum.

Iuris

Iuris deinde ſcripti partes enumerat ſex, Legem, Plebiſcitum, Senatuſconſultum, Principum placita, Magiſtratuum ædicta & Reſponſa prudētum: quas partes & earū partium particulas recta ſeriè definitionibus illuſtrat, & quomodo inter ſe conueniant, & quomodo diſcrepent oſtendit. Hæc eſt illa leuis & ſimplex via quam tantopere commendat Iuſtinianus. Deinde cum ſingula diligentiſſima atque exactiſſima interpræatione tradere aggreditur, eadem methodo atque ordinis ſeriè in illis vtitur qua prius. Primùm enim iuris data definitione partitio à ſubiectis ſequitur. Omne, inquit, ius quo vtimur, vel ad perſonas pertinet, vel ad res, vel ad actiones, Perſonarum tractatio præcedit, definitionibus & diuiſionibus illuſtrata: in principio ſecundi libri fit tranſitio ad ſecundum membrum. Superiori, inquit, libro de iure perſonarum expoſuimus: modo videamus de rebus. De rerum diuiſionibus ijſque quæ ad res pertinent in Tit. ſextum libri quarti extenditur diſputatio. Ibi tranſitio ad tertium membrum inuenitur, licet imperfectior quod careat epilogo.

Supereſt, inquit, vt de Actionibus loquamur. Primùm actionem definit, deinde diuidit, ſubdiuidit & exemplis atque legum vſu illuſtrat. Hìc vides Iuſtinianum non temerè, ſed data opera hanc methodum obſeruaſſe, quam leuem & ſimplicē viam vocat, quæ ſine magno labore, ſine vlla diffidentia ad id quod petimus nos perducit. Inſtitut. lib. primo Tit. 1.

Sic Baldus in Commentarijs in lib. Iurium, vt vocant, Fœudal. Primò quid ſit fœudum oſtendit, deinde quam varium ſit ius fœudale demonſtrat, poſtremò quæ cauſæ, quæ effecta, quæ officia, quæ cognata, quæ pugnantia ſint fœudorum declarat.

Sic Rochus Curtius inſignis Iuriſconſultus in Commentarijs ſuper Rubricam de Conſuetudine, quid ſit conſuetudo, quàm multiplex ſit conſuetudo docet: quæ officia ſingularum ſunt conſuetudinum indicat: quo pacto diſcrepet à ritu, moribus, &c.

CAP. XIX.

De secunda methodi illustratione per exempla poëtarum, oratorum, historicorum.

Atqui methodus, non solùm in materia artium & doctrinarum adhibetur, sed in omnibus rebus, quas facilè & perspicuè docere volumus, ideóque poëtæ, oratores omnésque omninò scriptores quoties docẽdum sibi auditorem proponunt, hanc viam sequi volunt, quamuis non vsquequaque ingrediantur atque insistãt. Virgilius in Georgicis distribuit propositam materiam in quatuor partes, vt antè dixi: primóque libro res communes persequitur, vt Astrologiam, Meteorologiam, déque segetibus & earum cultu disserit, quæ pars operis prima erat, túmque transitio adhibetur initio secundi libri.

Hactenus aruorum cultus & sydera cæli,
Nunc te Bacche canam: ---

Deinceps scribit generaliter de arboribus, tum specialiter de vitibus. Transitio secunda adhibetur ad tertiam partẽ, sed imperfectior & sine epilogo. Tertij libri initio de bobus, equis, ouibus, capris, canibus.

Te quoq; magna Pales, & te memorãde canemus
Pastor ab Amphryso. ---

Tandem initio quarti libri transitio tertia est de quarta parte, sed item imperfecta è sola pro-

propoſitione de apibus:

Protinus aërij mellis ſylueſtria dona.
Exequar. ---

Sic igitur poëta generaliſſimũ primo, ſubalterna medio, ſpecialiſſima extremo loco ponere ſtuduit. Sic Ouidius in Faſtis, diſpoſitionis huius gratiam ſequitur: propoſuit initio ſummum operis:

Tempora cum cauſſis latium digeſta per annũ,
Lapſáque ſub terras ortáque ſigna canam.

Mox imploratione facta, partitionem anni ſtatuit, factam à Romulo primùm in decem menſes, quam reprehendit:

Tempora digereret cum conditor vrbis, in anno
Conſtituit menſes quinque bis eſſe ſuo.

Et paulò poſt Numæ diuiſionem pleniorem adiungit:

At Numa nec Ianũ nec auitas præterit vmbras:
Menſibus antiquis præpoſuítque duos.

Denique poëta communes differentias interpretatus diei faſti, nefaſti, comitialis, nundinalis, calendarum, nonarum, iduum, tum atri, tãdem vnumquémque menſem ſuo loco proſequitur, & præfatione ordinis huius à generalibus ad ſpecialia ſtudium indicat:

Hæc mihi dicta ſemel, totis hærentia faſtis,
Ne ſeriem rerum ſcindere cogar, erunt.

Tandem singulis partibus expositis transitio coniungitur, vt in fine primi, & initio secundi:

Sed iam prima mei pars est exacta laboris,
Cúmque suo finem mense libellus habet.
Ianus habet finẽ, cum carmine crescat & annus:
Alter vt it mensis, sic liber alter eat.

In singulis libris posteá transitiones adhibẽtur, sed minus accuratè. Oratores in procemio, narratione, confirmatione, peroratione hunc ordinem affectant, eúmque artis & naturæ & rei ordinẽ appellant, & interdum studiosius affectantur, vt in accusatione Cicero primùm proponendo, tum partiendo, Quæstor (inquit) Cn. Papyrio Cos. fuisti ab hinc annos quatuordecim, & ex illa die ad hanc diem quæ fecisti, in iudicium voco, hora nulla vacua furto, scelere, crudelitate, flagitio reperietur. Propositio hîc & definitio summæ rei est, tanquam in hoc iudicio generalissima. Partitio sequitur: Hi sunt anni consumpti in Quæstura & legatione Asiatica, & Prætura vrbana, & Prætura Siciliensi: quare hæc eadem erit quadripartita distributio totius accusationis meæ. Quas partes quatuor earúmque partium particulas: deinceps suo quámq; ordine, & loco tractauit, & transitionibus copulauit, tres primas tertio libro: Quamobrem (ait) Quæstura istius demonstrata, primique magistratus & furto & scelere perspecto, reliqua attendite. Tum verò expositis legationis

nis

nis criminibus, transitio ad Præturam sequitur: Verum ad illam iam veniamus præclaram Præturam, criminaque ea, quæ notiora sunt his, qui adsunt, quam nobis, qui meditati ad dicendum paratique venimus. Transitio hæc imperfectior est sine epilogo: tandem principio quartæ orationis transitio est consimilis ad quartam partẽ de Prætura Siciliensi: Multa mihi necessariò, iudices, prætermittenda sunt, vt possim aliquo modo de ijs rebus, quæ meæ fidei commissæ sunt, dicere: recepi enim caussam Siciliæ: ea me ad hoc negotium prouincia attraxit.

Sic Æschines, Demosthenes, Isocrates, cæterique atticæ eloquentiæ Principes hanc methodum laudant & in omnibus suis orationibus seruare conantur. Aduersarias illas Æschinis & Demosthenis orationes in quarum compositione 20. annos consumpsisse feruntur exempli loco in medium adferam. Non enim dubium est quin in his maximam methodi rationem habuerint. Sed quænam ea est?

Conuincam Athenienses (ait Æschines) Ctesiphõtem ea scripsisse, quæ & legibus pugnant, & à veritate abhorrent. Propositio hîc & definitio summæ rei est, tanquam in hoc iudicio generalissima. Huic annectitur transitio ad partitionem. Ac de vniuersa accusatione mediocriter me præfatum esse arbitror, &c. Partitio sequitur in 3. generalia capita;

Primum est, Demosthenem non esse coronandum, qui in magistratu esset: Secundum, non licere in theatro coronam proclamare: Tertium, non esse virum bonum Demosthenem nec corona dignum. Quas partes

tres carúmque partiũ particulas deinceps ſuo quámque ordine, & loco tractat & tranſitionibus copular, primam cum ſecunda his verbis: quo autem pacto quiſquã demonſtrare poſſet, hominem legibus magis contraria ſcripſiſſe? præterea iubere eum in ſuo decreto, etiam coronæ proclamationem contrà leges fieri: id quoque vos docebo, quibus ſingulis ordine expoſitis, ſequitur tranſitio ad tertium caput: Reliqua iam eſt mihi accuſationis pars, quæ maximè mihi curæ eſt. Ea porrò eſt cauſa, propter quam eum coronandum cenſet. Sed me quidem accuſatorem hìc vobis oſtendere oportet, falſas eſſe laudes quæ Demoſtheni tribuuntur: eúmque nec cœpiſſe optima dicere, nec nunc conſtanter ea agere quę ſunt è re populi. Quod ſi demonſtraro iure Cteſiphon condemnabitur. Sequitur partitio huius 3. Capitis in quatuor tempora. Quoniam, inquit, futurum audio vt Demoſthenes vbi dicendi vices ad eum redirent, apud vos quatuor tẽpora enumeret, quibus apud vos Remp. geſſerat: quorum vnum, idque primum recenſet, quo de Amphipoli cum Philippo geſſimus bellum. Id autẽ tempus definit, facta pace & ſocietate, quàm Philocrates Hagnuſius decreuit, & iſte ipſe cum eo, vt ego oſtendam. Alterũ fuiſſe tempus ait, quo pacem ſeruauimus: ad eum diem, quo iſte ipſe orator, pace qua fruebamur abrogata, bellum decreuit. Tertium, id tempus quo bellum geſſimus, vſque ad cladem Chæronenſem.

Quartum, hoc tempus quod nunc eſt. Ego eodem vtar orationis ordine, quem iſtum inſtituiſſe audio, vt primum dicam de primo tempore, ſecundo loco de ſecundo, tertio de eò quòd ſecutum eſt, & quarto de eo rerum ſtatu qui nunc eſt. Itaque me ad pacem confero, deinde vbi ſingula primi temporis membra ſuo ordine atque loco tractauit, tranſitio ad ſecundum ſequitur: Qua igitur ratione ad hanc rerum mutationem peruenerit, nam hoc ſecundum tempus eſt, & quæ tandem cauſa ſit, cur Philocrates, qui eadem geſſit cum Demoſthe-

mosthene, ob crimen lesæ maiestatis sit actus in exiliũ, Demosthenes autem aliorum extitit accusator: & qua ratione homo iste nefarius nos in calamitates coniecerit: hæc iam vel in primis est audire opere precium. His singulis, vt ordinis series postulat, demonstratis, ad tertium tempus se accingit de bello secundo. Hic iam, inquit, tertium collocatum est tempus, vel potius omnium accerbissima tempestas, qua Demosthenes Græcorum res & vrbis nostræ perdidit: cùm templo Delphico violato, tum societate cum Thebanis iniusta, & nullo modo æqua, decreta. Auspicabor autẽ ab ijs quæ in Deos immortales commisit, Tandem ad quartum tempus transit: vt autem, inquit, de quarto etiam tempore, & ijs rebus quæ nunc sunt, aliquid dicam: illud vobis redigam in memoriam, quod Demosthenes non castrenses duntaxat ordines deseruit, sed etiam accepta vrbis nostræ triremi, à Græcis pecuniam exegit. In orationis fine, quasi de hac methodo gloriaretur, eam his verbis repetit. Primum, inquit, leges protuli quæ rationibus nondum relatis, quemquem coronari vetant: Secundò loco, vobis leges præconiorum recensui, in quibus apertè interdicitur ne is qui à populo coronatur, extrà concionem proclametur. Tertiò id quod maximum est, dixi eum non dignum esse præconio. Hic in Æschine nostro viuam quãdam naturalis methodi imaginem habes. Demosthenes autem (ne in re tam manifesta tempus teram) eundem prorsus ordinem seruat. Afferam ipsius Demosthenis verba, quę statim post propositionem summæ rei posita sunt. Quæ igitur, inquit, in decreto accusat, Athenienses hæc sunt, Ego verò his ipsis declaratũ vobis opinor, me iustis rationibus omnia refutaturum. Seruato enim eodem ordine quem iste in accusatione instituit, de omnibus deinceps sygillatim dicam, & volens nihil prætermittam. Primùm tamen agit de tertiò membro, ne aduersario obsequi videretur qui in hoc plurimum laborauit, vt Demosthenes vel in-

uitus, eodem ordine respondere cogeretur, quo ipse accusauit. Sequitur transitio ad alterum membrum: reliquum, inquit, nunc esse mihi puto, vt de præconijs dicam,& rationibus referendis. Ad vltimam partem trãsitio sequitur. Iam verò quod ad præconium in Theatro attinet, sexcenties sexcentos esse proclamatos prætorio: & me sæpe ipsum prius esse corona donatum.

Sic Liuius summam septingentorum annorum initio complectitur, tum per decades diuidit.

CAP. XX.

De Crypticis methodi.

Hæc igitur in varijs axiomatis homogeneis suóque vel syllogismi iudicio notis methodus erit, quoties perspicuè res docenda erit: At cum delectatione motúue aliquo maiore, in parte aliqua fallendus erit auditor, homogenea quædam reijcientur, vt definitionum, partitionum, transitionúmque lumina; quædam assumentur heterogenea, velut digressiones à re & in re commorationes, sed præcipuè rerum ordo initio inuertetur, antecedentiáque nonnulla consequentibus postponentur, Itaque ad illã perfectæ methodi regulam, hæc alicubi imperfectior forma nõ solùm detractis rebus mutila est vel superadditis redũdat, sed ordinis sui quibusdam gradibus inuersis præpostera est. Quòd Poëta facit maiore quadam artificij specie, dum populum du-

cendum

cendum ſibi proponit, id eſt, belluam multorum capitum, ideóque varijs modis decipit: incipit à medio, ibique primũ ſæpè comprehendit, poſtremum denique incerto aliquo & inopinato caſu concludit. Sic (vt Horatius ait) Homerus Iliada diſpoſuit.

Nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo:
Semper ad euentum feſtinat, & in medias res
Non ſecus ac notas auditorem rapit: & quæ
Deſperat tractata niteſcere poſſe, relinquit:
Atque ita mentitur, ſic veris falſa remiſcet,
Primo ne medium, medio ne diſcrepet imum.

Sic Vir. Æneam à Silicia excepit, & in conuiuio Carthaginis præterita narrantem fecit: poſtrema varijs perturbata caſib. induxit. Sic comici poëtæ, tametſi magno iudicio comœdias per actus & ſcenas diſtingunt, efficiunt tamen vt omnia fortuita videantur. Oratores verò ad victoriam omnia referunt. Itaque nõ tam docendi, quam permouendi gratia firmiſſimum quódque primum ab ijs collocatur, dum tamen ea, quæ æquè excellent, ſeruentur etiam ad extremum, & Homerica diſpoſitione mediocria in mediam turbam atq; in gregem conferantur.

FINIS.

exilium sibi proponit, [illegible], bellum [illegible] torum capitum, ideo [illegible] modis disci- pit, atque [illegible] sæpe ex- [illegible], postremo [illegible] quod [illegible] r[illegible] Homerus [illegible] auspicatur.

[illegible] bellum [illegible]
[illegible] ad [illegible]
[illegible] ac [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

Sic Vir. Æneam a Siculo excepit, & in co- nuio Carthaginis præteritis narrationem [illegible] [illegible] vanis [illegible] cunctis poëta, tamen [illegible] suo iudicio [illegible] [illegible] actus & scenas distinguit, [illegible] tamen ut omnia fortuita videantur. [illegible] vero ad victoriam omnia [illegible]. Itaque [illegible] tam [illegible], quam permouendi gratia [illegible] [illegible] quodque [illegible] ab iis [illegible] [illegible] tamen ea, [illegible] etiam ad extremum, & Homerus [illegible] [illegible] mediocris [illegible] turbam [illegible]

F I N I S.

REGIÆ MAIESTATIS Priuilegio cautum est, ne quis hanc P. RAMI Dialecticam omnium scientiarum ac artiũ exemplis illustratam, *infrà decennium imprimat, aut alibi extra Angliæ regnum impressam diuendat, præter illam quod* Thomas Vautrollerius *typographus Lõdinensis in claustro vulgo Blak-friers commorans, suis typis excuderit.*